A Ariſtidem noverat. Evocatum ergo ad ſe ita interrogare perrexit: Quando, inquit, te audiemus? Hodie, ait ille, proponas, cras verò audias. ὁ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων, hoc eſt, non ex vomentibus ſumus, ſed ex eorum numero, qui accuratè dicunt. Vomentes verò intelligebat, qui extemporali uterentur oratione, ad quam quum minùs ipſe proclivis foret natura, rem totam ut incurioſam aſpernabatur irridebatque. Hic porrò ſcommate Philippum laceraſſe non expavit, quum Arimaſpos μονομμάτους, id eſt, unoculos illi cognatos dictitaret. Polemonis rethoris Smyrnei auditor, item Herodis Attici, & Ariſtoclis Pergameni. *Cælius lib.21. c.8. Antiq. Lect.*

Cl. Ælianus ſophiſta, Præneſtinus Pontifex, Meligloſſus ſeu Meliphthongus cognomine, docuit Romæ poſt Adrianum. Hic quum minus ſibi virium, ac vehementiæ vel ſpiritus adeſſe non eſſet neſcius, quàm ut declamatoriam palæſtram calefaceret, in qua deſudarent quidem multi, laudem referrent perpauci: ad ſyntaxes, quo ſe vixiſſe apud poſteros teſtatiſſimum faceret, ſe totum contulit, uſque ad ſtuporem. In dicendo apheliam maximè affectavit, hoc eſt, ſimplicita- B tem: quæque (uti prodit Fabius) ſimplex & inaffectata haberet quendam puerum, qualis etiam in fœminis amator, ornatum. Nicoſtrati vetuſtatem expreſſit, ad Dionis tonum reſpicit quandoque. *Cælius l.21. c.32. A. L. & Suidas.*

Leoncius vel Leo, Sophiſta Athenienſis, orator inſignis, ſed & aſtrologus magnus, filiis hæreditatem omnem reliquit: Atheniadem filiam propria fortuna contentam eſſe debere, aſſerens. Eo mortuo, cum juris ſui perſequendi cauſa Conſtantinopolim veniſſet, Pulcheriæ ſorori Imp. Theodoſii inſinuata propter eruditionem, ejuſdem conciliatione Imperatori nupſit, & in baptiſmo nomen Eudoxiæ ſuſcepit. *Zonar.*

Philagrus, Cilix patria, Lolliani auditor, coæqualis Herodis Attici, ſophiſtarum vehementiſſimus, ſed & maximè iracundus. Narratur, quandoque dormitanti auditori pugnum in malam impegiſſe. Natura porrò difficilis erat, & minùs tractabilis; quæ res nec ipſum fefellit: nam ſciſcitanti amico, Quid ita non placeret ei filios tollere? Quoniam, inquit, nec mihi ipſi placeo. *Cœlius lib.21. c.7. A. L.*

Genethlius, Genethlii filius, Palæſtinus, Petræus, Sophi- C ſta, Minutiani & Agapethi diſcipulus: docuit Athenis, æmulus Callinici, illuſtris viri. Solerti fuit ingenio, totamque declamationem auditam memoriter recitavit. Obiit juvenis, annos viginti octo natus. Scripſit ſermones ſeu diſputationes, & declamationes. *Suidas.*

Arnobius ſub Diocletiano rethor in urbe Africæ Sicca, Lactantii præceptor, ſeptem inter alia adverſùs Gentes luculentiſſimos libros, Tertullianum imitatus, elucubravit, eorumque arcana myſtica profanavit, hoc eſt, ſceleſtiſſimo & impuriſſimo dæmoni larvam detraxit. Sed lectore opus habet antiquitatis, & hiſtoriarum, & fabularum perito.

Lactantius Firmianus, Arnobii diſcipulus, in declamatoria palæſtra multos annos verſatos, haud vulgarem tandem in propagandis literis Latinis operam apud Celtas inſumpſit. Ab illo ipſo Criſpus Cæſar Conſtantini Auguſti filius in Gallia fuit inſtitutus. Ejus linguam unicè miratur D. Hieronym.

Poſthumus junior, quem pater Caſſius Labienus Poſthumus ſub Galieno à Gallis Imper. declaratus, Cæſarem appellavit, ac deinceps Auguſtus eſt dictus: eloquentiſſi- D mus declamator, & ob hanc ſolam virtutem notus. *Cuſpinianus.*

Cyprianus Afer, teſte Hieronymo, primùm Rhetoricam docuit: deindè ſuadente presbytero Cæcilio, Chriſtianus factus eſt. Vir de pietate Chriſtiana optimè meritus. *Volaterranus lib.14. c.2. Antrop.*

Floruere ſub Conſtantino Magno eloquentiæ laude Romæ Nazarius, qui rhetoricam docuit, & Minucius Felix, qui cauſas oravit, & Lampridius, Spartianus, Capitolinus, & Vopiſcus: qui vitas ſuperiorum Imperatorum literis mandaverunt; qui quanta dicendi facultate valuerint, ex ſcriptis eorum perſpici poteſt. Nazarius inde Paterius rhetor, & Eunomia Nazarii filia eximiè celebrari: quorum D. Hieronymus meminit. *Sigonius lib.3. Imp. occid.*

Constante regnante, Romæ eloquentiæ laude floruerunt Minervius Burdigalenſis, & Marius Victorinus Afer, qui Romæ Rhetoricam docuit. Hic virtutis ergo ſtatua in Foro Trajani donatus eſt, ac demùm jam ætate confectus, teſte in Confeſſionibus Sancto Auguſtino, baptiſmum accepit. *Sigonius lib.5. Imp. occid.*

Theodosius I. victo Maximo tyranno, cum Honorio filio Romam perrexit, & cum Valentinian. II. urbem triumphans inivit. In Senatu à Latino Pacato, viro eloquentiſſimo, laudatus eſt oratione elegantiſſima. *Sigonius lib.9. Imperii occidentalis.* E

Rhetores Burdigalenſes ſuis parentalibus immortalitati conſecravit Auſonius, Tiberium Victorem Minervium, Latinum Aleimum Alethium, Lucidum Atticum Pateram cum Attico Tirone Delphidio, Alethium Minervium, Cenſorium Atticum Agricum. Item Æmilium Magnum Arborium, Exuperium. *Toloſates.*

Joan. Baptista Egnatius presbyter, Venetiis quadraginta ferè annos humaniores literas publicè profeſſus eſt: adeò univerſæ Venetæ civitati ob ſingularem eruditionem, ac morum probitatem charus, ut ex Senatus decreto, ducentis aureis nummis quotannis, jam publico munere defunctus, quoad viveret, donaretur. Omnia præterea ejus bona, ex edicto decemviralis conſilii, publico cenſu exempta ſunt. Moriens tres ampliſſimas patriciifamilias, Molinam, Lauretanam & Bragadenam, ſupremis tabulis honoravit. Deceſſit octogenarius anno Chriſti MDLIII. ſecunda die Julii. F

Rhetores Indocti.

☞ *Huc major Sophiſtarum turba pertinet, qui nomine quidem ſe ſapientes profitebantur olim, cùm reverà tamen ἀγνοίᾳ κατὰ διάθεσιν laborarent, Platone teſte.*

De Sabineo, frigido rhetore, *Martialis Epigrammatum libro* ſic ludit:

Si temperari balneum cupis fervens,
Fauſtine, quod vix Iulianus intraret.
Roga, lavet ut rhetorem Sabineum:
Neronianas is refrigerat thermas.

In ſtatuam Rufi, rhetoris ſemiviri & elinguis, *Auſonius* hæc profert:

Rhetoris hæc Rufi ſtatua eſt, nil verius ipſa,
Ipſa adeò linguam non habet, & cerebrum,
Et riget, & ſurda eſt, & non videt, omnia Rufi:
Vnum diſſimile eſt, mollior ille fuit.

ELOQUENTIÆ PROFESSORES.

Negotiosi.

Hujus ſunt loci Diſerti & Eloquentes. G

Philosophi.

Si omnia à Philoſophis eſſent petenda, veteris Academiæ & Peripateticorum inſtitutis commodiùs fingeretur oratio: quorum in doctrina atque præceptis, diſſerendi ratio conjungitur cum ſuavitate dicendi & copia. Quis enim uberior in dicendo Platone? Jovem ſic, ut ajunt philoſophi, ſi Græcè loquitur, loqui. Quis Ariſtotele nervoſior? Theophraſte dulcior? Lectitaviſſe Platonem ſtudioſè, audiviſſe etiam Demoſth. dicitur: idque apparet ex genere, & granditate verborum. Tamen philoſophica iſta dicendi conſuetudo, nec perficere oratorem poteſt per ſeſe, nec ſine ea orator eſſe perfectus. *Cic. in Bruto.*

Xenophon Grylli filius, Athenienſis, Socratis diſcipulus, tantum eloquentiæ viribus potuit, ut Muſa Attica appellatus ſit. Extant adhuc Commentarii ejus de Cyri inſtitutione, ſed & de Expeditione Cyri: qui licèt argumenti ratione hiſtorici ſint, at elocutionis reſpectu ſunt oratores, & propter omnigenæ philoſophiæ intermixtos floſculos, philoſophi. Nempè Philoſophica elegantia non aliunde, quàm ex rhetorices, & poetices, & philoſophiæ ſobria permixtione provenit. H

Platonis eloquentiam apes, quæ ejus labris, dum infans eſſet, inſederunt, teſtatæ ſunt: experta deindè fuit Academia. Nos etiam ex illius ſcriptis eandem colligimus. Adeò ut non propter res tantùm, ſed etiam propter verba, θεῖος nomen meruerit. *De eo ſic Timon cecinit, referente Laertio:*

Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
Ἡδυεπής, τέττιξιν ἰσογράφος, οἵ θ' Ἑκαδήμου
Δένδρεα ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Id eſt:

Cunctos anteibat latiſſimus ille, ſuavis
Orator, cujus non cedunt ſcripta cicadis,
Quæ ſuper arboribus reſident lucis in opacis,
Ac mittunt vocem modulato gutture amœnam.

Eraſmus in Adagiis.

Aristoteles à præceptore non ſcientiam ſolùm, verùm etiam eloquentiam hauſiſſe videtur: ut quamvis eo genere docendi non utatur, quo Plato, (ille enim Dialogico genere, quod omnis generis ornamenta admittit; hic verò εἰρημένῳ

A λόγῳ, continuata orationis ſerie philoſophatur) tamen eloquentiæ ſuæ non obſcura dat indicia: ut Cicero eloquentium princeps, aureum Ariſtotelis flumen appellare non vereatur. Antipater ſcribit de eo jam defuncto, inter cæteras virtutes, etiam facultate præditum eum fuiſſe flectendi, quò vellet animos. *Plut. in Catone.*

Tyrtamus ex Ereſſo Lesbi civitate, Ariſtotelis diſcipulus, Theophraſtus ob eloquii ſuavitatem dictus eſt. *Laertius in ejus vita.* Nam cum Ariſtoteles diſcipulos ſuos omnes eloquentes fecerit: tum verò Theophraſtum eloquentiſſimum. *Strabo l.13.*

Lycon ex Troade, Stratonis diſcipulus, è Theophraſti ſchola, quàm eloquens ac diſertus fuerit, vel ipſum nomen demonſtrat, quod addita litera G. Glycon ſit nominatus, *Laertius.*

Demetrius Phalereus eruditiſſimus fuit, & eloquentiſſimus, qui magis delectavit Athenienſes, quàm inflammavit: ut qui non è militari tabernaculo, ſed è Theophraſti philoſophi umbraculis, in ſolem & pulverem proceſſiſſet. Primus inflexit orationem, & eam mollem teneramque reddidit. B *Cicero in Bruto.*

Berosus Aſtrologus, ob eloquentiam & inſignem ſapientiam ab Athenienſibus ſtatuam meruit, lingua deaurata. *Plinius lib.7. c.37.*

Carneades Cyronæus, novæ princeps Academiæ, tantùm eloquentia ſua valuit, ut facilè dicendi viribus, de qualibet re quoſvis in ſuam traheret ſententiam. Ideòque etiam Romam legatus miſſus ab Athenienſibus, una cùm Diogene Stoico & Critolao Peripatetico, ſuſpectam fecit Romanis legationem, dicente M. Catone in ſenatu: Ab eo viro cavendum eſſe, qui ob eloquentiam & diſſerendi facultatem facilè, quæcumque vellet, impetrare poſſet. *Volaterranus l. 14. cap.2. Anthrop.* Quintilianus verò *l.12. c.1.* ait, eum Romæ, audiente Cenſorio Catone, non minoribus viribus contra juſtitiam dixiſſe, quàm pridie pro juſtitia diſſeruerat. De ejuſdem eloquentia ſcribit *Gellius lib.7. c.14. & Crinitus l. 22. c.4. de Honeſt. diſcip.*

Carneades, alter Philoſophus Athenienſis, Anaxagoræ diſcipulus, ſophiſta inſignis, & philoſophi ſententiam, & oratoris vehementiam, in dicendo retinuit, *teſte Philo-* C *ſtrato.*

Stilpo Megarenſis, ex Euclidis ſectatorum familia, inventione & eloquentia ſuperabat omnes alios, in tantum, ut omnis Græcia eum coleret, ſuſpiceret & admiraretur, atque adeò μεγαρίσαι diceretur. *Laert. lib.2.*

Heraclides Ponticus, in omni orationis genere varius, dictione dictinctus, maximam habuit vim capiendi animos & oblectandi. *Laert. l.5.*

Antistenes Athenienſis, inter omnes Socraticos acutiſſimus fuit, & ex ſuavitate colloquii quemlibet capiebat, atque ducebat. *Laert. l.5.*

Bion Boryſthenites, primus philoſophiam vario orationis flore veſtivit, teſte Eratoſthene apud *Laert. l.4.*

Arcesilao Pitanæo magna inerat in diſſerendo facilitas atque πειθώ, ita ut plurimi ad eum audiendum confluerent, quamvis immodico acumine illius offenderentur. *Ibid.*

Anaximenes Lampſacenus, diſcipulus Diogenis Cynici, & Zoili Amphipolitani grammatici, præceptor Alexandri Magni, patriam hoc dolo ab obſidione Alexandri liberavit. Cum audiret rex, eum pro patriæ interceſſione ad ſe acceſſurum, D contrarium omne, quod petiturus foret, ſe facturum eſſe jurarat. Id Anaximenes cùm percepiſſet, à rege, patriæ & incolarum exciſionem petiit. Rex jurejurando obſtrictus, vel invitus Lampſacenis pepercit. *Suidas.*

Callistenes philoſophus, Alexandro comes additus pro Ariſtotele. Inter pocula juſſus Macedones laudare, tam profluenti oratione hoc tractavit argumentum, ut exilientes ei plauderent, & coronas ingererent. Alexander verò ibi dixit ei:

—— qui dictionis nactus eſt
Campum bonum, haud ægrè fit iſtic eloquens:

At oſtende facultatem tuam vituperandis Macedonibus, quò emendentur, auditis delictis ſuis. Ita ad retractanda ille priora verſus, multa in Macedonas magna libertate diſſeruit, Græcorumque diſſenſionem demonſtravit, cauſam fuiſſe Philippi incrementi & potentiæ:

Diſſidio in populi capit & ſceleratus honorem.

Acerbam inde invidiam in eum & gravem concepere Macedones: ac dixit Alexander, non eloquentiæ ſuæ Calliſthenem, ſed malevolentiæ dediſſe Macedonibus documentum. Calliſthenes animum à ſe abalienatum regis cùm percepiſſet, digrediens, bis aut ter ad ſeipſum dixit: ἔθανε καὶ Πάτροκλος ὅτις σέο πολλὸν ἀμείνων. Non abſurdè igitur dixiſſe apparet Ariſtotelem (ex cujus conſobrina Hero editus, ab illo educatus fuerat) facundum eſſe & magnum in dicendo Calliſthenem, verùm mentem non habere. *Plut. ab Alexandro.* E

THEOLOGI.

☞ *Exempla ex Titulo Doctorum Eccleſiaſticorum petantur. Vtitur certè Spiritus ſanctus ſua quoque Rhetorica, non phalerata illa, & præter elegantiam verborum, nihil in ſe ſucci continente: ſed ſolida, & ex rerum æternarum fontibus deducta: cui non veriſimilitudo, ſed veritas immutabilis propoſita eſt. Nam cùm omnes creaturæ, in ſuo quæque genere excellentiſſimæ, Deum laudare debeant; quidni etiam artes Rationis & Orationis, gloriæ Dei primaria inſtrumenta cenſeantur?*

Apoſtoli non armis, ſed eloquentia à Spiritu ſancto cœlitùs infuſa, totum orbem ſubegerunt, & Chriſti Euangelium regnumque paſſim prædicarunt. Itaque Petrus in die Pentecoſtes tria millia convertit: alia quoque vice quinque millia. Habet enim Spiritus ſanctus quoque ſuam rhetoricam, eamque efficaciſſimam. F

HISTORICI.

☞ *Conſule Titulum Hiſtoricorum, quatenus hiſtorias eleganter ſcribunt.*

Xenophon Athenienſis, Cyripædiam tanta ſcripſit facundia, ut non hiſtoriam, ſed regni ſanctiſſimi ideam deſcripſiſſe videatur. Neque enim Cyrus ille talis fuit, ſi Platoni credimus, idipſum in legibus ſtatuenti, à Marco demum Tullio confirmatum in epiſtola ad Quintum Fratrem. Sed ſingularis facundiæ philoſophus, effigiem quandam juſti imperii conceperat animo, & eminentiſſimi principis: quæ ſummam gravitatem cum ſingulari comitate conjungeret. Hanc ille ſub perſona Perſici regis exprimendam potiſſimùm cenſuit. Ideoque ſcopum attigiſſe viſus eſt, aut ſcopi umbilicum veriùs: ut Africanum Scipionem, quamquam ſpolio ex tertia orbis parte rapto celeberrimum, non temerè legamus eum librum de manibus ponere ſolitum. *Cælius l.8. Antiq. Lect. c.1.*

Thucydides Olori filius, Athenienſis, genus ſuum à Miltiade ducens, exul bellum Pelopponeſiacum ſcripſit. *Cælius l. 3. c.19. Antiq. Lect.* G

Herodotus hiſtoriam, Muſarum nomine, ſingulari eloquentia ſcripſit, & in Græcorum panegyri Olympiæ, maximo cum applauſu, recitavit.

C. Julius Cæſar, teſte Cicerone quantumvis hoſte, Commentarios ſcripſit valdè quidem probandos: nudi ſunt, recti & venuſti, omni ornatu orationis tamquam veſte detracta. Sed dum voluit alios paratam habere, unde ſumerent, qui ſcribere vellent, hiſtoriam, ineptis gradum fortaſſe fecit, qui illam vellent calamiſtris inurere: ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit. Eoſdem libros, ſcriptor Cæſaris laudum (ut fama fert) Julius Celſus; ut Svetonio videtur, Hircius, ita commendat: Difficillimam rem ſuſcepi, Cæſaris noſtri commentarios rerum geſtarum Galliæ. Nec multò poſt: Quos utinam, qui legerint, ſcire poſſint, quàm invitus cœperim ſcribendos, quò faciliùs caream ſtultitia atque arrogantiæ crimine, qui me mediis interpoſuerim Cæſaris ſcriptis. Conſtat enim inter omnes, nihil tam operosè ab aliis eſſe profectum, quod non horum elegantia ſuperetur: qui ſunt editi, ne ſcientia tantarum rerum ſcriptoribus deſit: H adeòque probantur omnium judicio, ut præcepta, non præbita facultas ſcriptoribus videatur. Cujus tamen noſtra major quàm reliquorum eſt admiratio. Cæteri enim quàm benè, quàmque emendatè, nos etiam quàm facilè atque celeriter eos perfecerit, ſcimus. *Hæc ille.*

MECHANICI.

☞ *Quemadmodum oratio Mechanicis artibus non per ſe, ſed per accidens, quatenus homini ab homine communicantur, inſeruit, ita etiam orationis ars. Quòd ſi Philoſophia non dedignatur cauſa publicæ utilitatis ſua theoremata mechanicorum uſibus veluti elocare, quidni etiam Rhetorica, quæ Philoſophiæ famula eſt? Sic quoque Sol mundi oculus non excelſa tantùm regum palatia, ſed & humiles paſtorum caſas ſuis radiis illuſtrat.*

Athenis, cùm aliquando de architectis duobus, uter ad opus publicum eſſet conducendum præſtantior, quæreretur: alter diſertus & feſtivus, oratione habita, quam commentatus erat de opere efficiendo, permovit populum: alter

A qui arte quidem excellebat, ſed erat infans, in medium progreſſus: Athenienſes, inquit, ſicut hic dixit, ſic ego faciam. *Plutarchus in præceptis Politicis*. De eo ſic ſcribit *Valerius l. 8.c.13.* Philo architectus armamentarium Athenis ſumma arte & elegantia exſtruxit: nec minore facundia rationem inſtituti ſui populo reddidit, ut diſertiſſimus populus non minùs eloquentiam, quàm opus illius, fuerit admiratus.

Petrus Rex, textor pannorum, Brugenſis, homo plebejus, puſillo corpore, cocles, ſexagenarius, Flandrorum plebem in ſocietatem rebellionis contra Philippum Pulchrum Gallorum regem eloquentia ſua pertraxit & in acie Curiacenſi, equeſtri dignitate à Guidone Comite Flandriæ ornatus fuit. *Ioannes Villanus lib.8.c.54. Hiſtoriarum.*

ΠΟΛΙΤΙΚΟΙ', ΔΗΜΑΓΩΓΟΙ', ORATORES, VIRI IN REPUBLICA ADMINISTRANDA illuſtres ſimul & diſerti.

☞ *Cicero Oratorem definit eſſe virum bonum, dicendi peritum. Vir bonus idem eſt, qui & juſtus. Iuſtitia virtus eſt ethica, & in converſatione quotidiana locum habet. Proinde Orator ille erit, qui* πολιτικὸς *Græcis dicitur.* Πολιτικὸς *enim in* B *Republica adminiſtranda verſatur, & utroque tempore, belli ſimul & pacis, ea quæ ad utilitatem publicam facere poſſunt, invenire, & oratione explicare poteſt conveniente. Convenientem appello, reſpectu eorum, quibus conſilia ſua proponit. Qui quidem ſi omnes philoſophi eſſent, & veritatem ſimplicem vel aſſequi, vel approbare poſſent, Rhetorica opus non eſſet. Nunc verò quia major pars civium imprudens & imperita eſt, Politici erit, & ea, quæ bona ſunt, ſuadere, & mala diſſuadere.* Πολιτικοὶ *igitur à materia ſubjecta nomen ſuum traxerunt, quoniam civitatis negotiis occupantur. Oratores ab ipſa oratione, ut & Rhetores* ἀπὸ τοῦ ἐρέω. *Et nomen quidem Oratoris latiùs patet, quàm nomen Politici: definitio verò eadem eſt. Eoque factum, ut quidam hanc definitionem tamquam impropriam reprehendere fuerint auſi. Nihil enim ad Oratoris naturam, quatenus Orator, conducit, ut vir bonus ſit, vel malus: modò ea adhibeat, quæ ad perſuadendum facere poſſunt. Accidit eloquentiæ, ut interdum viri boni, veri ſcilicet Politici & Oratores, interdum viri improbi, quos* δημαγωγοὺς *Ariſtoteles in Politicis vocat, ea utantur. Iiſdem pharmacis & Medicus ſanat, & vene-* C *ficus interficit. Iiſdem locis ad perſuadendum, eadem facultate dicendi &* πολιτικὸς *Rempublicam erigit, &* δημαγωγὸς *ſubvertit. Nunc ad exempla &* πολιτικῶν *propriè dictorum, &* δημαγωγῶν *accedamus; cùm habitu eloquentiæ per ſe non disjungantur; ſed ex adjuncta virtute vel improbitate ethica.* Δημαγωγοὶ *enim Oratores atque Rhetores dici poſſunt, ſi ſpectes artem eloquentiæ: ſi vero inſtitutum,* Κόλακες *& Adulatores populi. Eſt enim adulator is, qui privatæ utilitatis cauſa, ad gratiam omnia facit & loquitur. In Democratiis certè hoc genus hominum plurimùm ſemper potuit: id quod ex Romana & Athenienſi Republica manifeſtè conſtat. Exempla plura ex Titulo Eloquentum; item, Eloquentiæ vires; item, Aſtutiæ in occupanda tyrannide, mutuari poterunt. Quin etiam ex Tit. Rhetorum, quatenus ipſi etiam eloquentiæ profeſſores interdum in concionem populi prodeunt, & cauſas agunt publicas.*

Homerus Neſtorem Pylium in Iliade ſua eloquentiæ nomine commendat, & in eo ideam nobis proponit oratoris inquiens:

——— Τοῖσι δὲ Νέστωρ
D Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητής,
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.
Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
Ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Ἡδυεπὴς, ſi elocutionem ſpectes: λιγὺς, ſi pronunciationem: in quibus cùm eloquentia potiſſimùm conſiſtat, ſtatim infert, melle dulciorem ex ejus ore fluxiſſe orationem. Inventio & diſpoſitio rerum ſunt propriæ: rerum cognitio, de quibus orator politicus tractat, in prudentem hominem cadit: prudentia, uſu & exercitatione acquiritur, quæ in ſenibus maximè reperitur. Eapropter commendat ſtatim Neſtorem ab ætate, quòd ſcilicet tres jam hominum ætates vixerit. Quo ipſo auctoritas & prudentia ejuſdẽ nobis inſinuantur. Proptereà ſubnectit ſtatim:

Ὅ σφιν ἐϋφρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν.

Oportet enim, oratorem εὖ φρονεῖν, hoc eſt, auctoritatem apud populum habere, & præconceptam jam in animis hominum virtutis & benevolentiæ opinionem; aut certè πίστεις ἠθικὰς adhibere cogetur, quibus mores ſuos commendet. Alter orator apud Homerum Ulyſſes eſt, verùm minore auctoritate & E experientia; & proptereà regum contentionibus, Achillis ſcilicet & Agamemnonis, non adhibetur à Poeta: quia non eloquentia tantùm opus erat, ſed etiam auctoritate, & prudentia, quæ in Neſtore majora erant, quàm in Ulyſſe. Jam verò Iliados ϐ in retrahendis Græcis à fuga, introducit primùm Ulyſſem δημαγωγὸν, qui popularem gratiam captat, & ſummoperè cavet, ne quid populo minùs gratum dicat. Eapropter ejus orationi tota concio acclamat. Deinde verò Neſtorem virum bonum, & veritatis potiùs, quàm popularis gratiæ rationem habentem, qui abſque phaleris, id quod res eſt, dicit: cujus prudentiam ſolus admiratur Agamemnon.

Solon Salaminius, legislator Athenienſium, eloquentia ſua ad optimum Reip. ſtatum Athenienſes deduxit: & verus politicus fuit, cùm Reip. commoda, non privatam utilitatem quæreret. Cũ quo è diametro pugnabat Piſiſtratus. Solet enim ferè natura extrema extremis opponere, ſũmis virtutibus ſũma vitia.

Pisistratus. ☞ *Vide infra. Eloquentiæ vires, ſucceſſus.*

Pericles Xantippi & Agariſtes filius, vitæ politicæ congruentem dicendi facultatem velut organum inſtruens, paſſim Anaxagoram explicabat, rationes phiſicas facultati dicendi velut tincturæ ſuffundens. Cùm enim altam illam mentem, atque F omnium efficientem, ut *Plato in Phædro* ait, ex naturali diſciplina ad præclaram indolem ſuam adjunxiſſet, & quod eſſet ex uſu, ad artificium dicendi accommodaſſet, longè antecelluit omnes. Unde cognomen eum memorant Olympii inveniſſe: quamvis nonnulli à monumentis, quibus exornavit urbem, alii à potentia, quam domi militiæque habuit, eo nomine arbitrantur inſignitum. At comœdiæ, quòd qui ea tempeſtate docebant eas, & ſerias & ridiculas voces in eum multas ejacularentur, traxiſſe ex vi dicendi eum oſtendunt hoc cognomen. Tonare enim & fulminare concionantem, & vehemens eum in lingua fulmen dicebant gerere. Thucydides Mileſius, qui diù Periclis in Repub. adverſarius fuit, cùm requireret ex eo Lacedæmoniorum rex Archidamus, ipſe an Pericles melior lucta eſſet? Ubi ego, inquit, luctando eum proſtravi, ille refellens, perſuadet ſe non cecidiſſe, atq; in eam traducit ſpectatores opinionẽ. Cùm ad concionandum accederet, ſemper precabatur deos, ne ullum verbum, quod ad rem præſentem non conveniret, invito excideret ſibi. *Plut. in Pericle, & in præceptis politicis.* De eo *Eupolis comicus in comœdia, cui titulus* Δῆμοι, ſic ſcribit:

G
Κράτιστος οὗτος ἐγένετ' ἀνθρώπων λέγειν,
Ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομεῖς
Ἐκκαίδεκα ποδῶν ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας.
Ταχὺς λέγειν μὲν, πρὸς δ' αὐτοῦ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐν τοῖς χείλεσιν.

id eſt:

Hic inter homines plurimum unus polluit
Dicendo, quoties præteribat, uti bonus
Agiliſque curſor, ſexdecim ſpatio pedum
Linquebat à ſe cæteros jam rhetores.
Sermone celer erat, celeritati aderat huic
Suadela quædam illius inſidens labris.

Hos verſus & *Ariſtophanes* adducit in Acharnenſibus, adjunctis hos duobus:

Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

id eſt:

Adeò movebat, atque ſolus rhetorum
Aculeum in animis liquit audientium.

Ejuſdem immodicam eloquentiam idem taxavit in eadem comœdia:

H
Ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης ὁ Ὀλύμπιος
Ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

id eſt:

Pericles at indignatus hinc Olympius,
Tonat, coruſcat, miſcet omnem Græciam.

M. Tullius in Bruto, deam Suadam Ennio dictam, ſive Suadelam, hoc eſt, Leporem, in Periclis labris ſeſſitaviſſe, ex Eupolide refert. *Eraſmus in Adagiis, & Cælius lib.25. c.3.*

Ex oratoribus familiaribus Periclis, per quos omnia tranſigebat, unus fuit Ephialtes, qui ſenatus Areopagi fregit potentiam, civilibuſque affatim, ut ait *Plato de Republica l.8.* meram propinavit libertatem: qua equi luxuriantis more, Comici dictitant poſtea, deſiſſe populum audire principes, & mordere Eubœam cœpiſſe, & in inſulas inſultare. *Plut. in Pericle.*

Alcibiades non perindè impotens concionator, verùm ſicut Ægyptiorum tellus ubertate dicitur cedere ſimul;

Φάρμακα πολλὰ μεμιγμένα ἐσθλὰ καὶ λυγρά.

Ita in partem utramque exuberans Alcibiadis ingenium, & excellens, ad res multas novas aperuit feneſtras. *Plut. in Nicia.*

A Theramenes Athenienſis, Agonis filius, Prodici Ceij diſcipulus, in Republica verſatus, Iſocratis magiſter: cùm alia multa, tum duo indigniſſima facinora edidit. Nam & duces, qui ad Arginuſas pugnarant, in carcerem conjecit: & oppreſſa libertate, triginta tyrannos Athenis conſtituit. Ab ipſis triginta eſt interfectus, Critia accuſatore. Quidam dicunt, ab ara, ad quam confugiſſet, avulſum fuiſſe. Hunc ob verſatile ingenium, Cothurnum cognominabant: cùm adverſariorum in Republica utrique factioni ſe adjungeret, tempori ſerviens, & privatam utilitatem fidei anteponens. Tria decreta pœnalia fecit: aut in tabula proſcribi, aut cicutam bibere, aut exulare oportere. *Suidas.*

Aristogitonis Sycophantæ Athenienſis conciones nihil non Martium ſpirantes, & de bellicis rebus bellicum quodammodò canentes, populum in diſcrimina ſæpè maxima conjecere, quum alioqui mollis ipſe foret. Die quadam delectum haberi audiens, ſimulata valetudine crus obligat, ac baculo innixus, velut graviter vulneratus, ſe in publicum proripit. Eum è longinquo conſpicatus Phocion, ex vultu Æthio- B pem agnoſcens, vociferans, inquit: Scribe Ariſtogitonem claudum, & eundem improbum ac mendacem. *Cælius l. 25.c.10. ex Plutarcho.*

Oratio Phocionis utilibus ſententiis, & conſiliis ſalubris fuit, conjuncta cum imperioſa, auſtera, & triſti brevitate. Quippè, ut Zeno ait, mente tinctum proferre philoſophum ſermonem debere: ita habuit Phocionis oratio plurimum ſententiæ in conciſa dictione. Proinde Sphettius Polyectus dicebat, oratorem eſſe Demoſthenem optimum, ſed in dicendo acutiſſimum Phocionem. Quomodo enim habet monetæ æſtimatio, exigua in mole, maximum valorem; ſic hujus orationis vim cenſebat verbis paucis multa ſignificare. Ferunt, Phocionem aliquando completo theatro ſub ſcena inambulaſſe cogitabundum, & cum amicus quidam diceret: Videris aliquid, Phocion, tecum meditari: Sanè verò, inquit, meditor, an quid de oratione, quam habiturus ſum ad populum, queam reſecare. Demoſthenes magnoperè contemnebat cæteros oratores: at cùm ad dicendum Phocion ſurgeret, ſolebat ad amicos dicere ſummiſsè: Τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς πάρεστι, Orationum mearum ſecuris adeſt. *Plutar-* C *chus in Phocione.*

Epaminondas tam fuit diſertus, ut nemo Thebanus par eſſet eloquentia: neque minùs concinnus in brevitate reſpondendi, quàm in perpetua oratione ornatus. Maximè ejus eloquentia eluxit Spartæ: quò cùm omnium ſociorum conveniſſent Legati, coram frequentiſſimo legationum conventu ſic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minùs illa oratione opes eorum concuſſerit, quàm Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, quod pòſt apparuit, ut auxiliis ſociorum Lacedæmonii privarentur. *Probus in Epaminonda.*

Decem antiquos Rhetores ſimul Athenis ætas una tulit Antiphontem, cognomento Neſtorem, Andocidem, Lyſiam, Iſocratem (quem inter Rhetoras potiùs, quàm Politicos referas) Iſæum, Æſchinem, Lycurgum, Demoſthenem, Hyperidem, & Dimarchum, quem hordeaceum Demoſthenem nuncuparunt, quia inflatus ac levis eſſet. Horum decem vitas poſteris reliquit *Plutarchus*. De eorum dicendi charactere *Hermogenes* περὶ τοῦ πολιτικοῦ λόγου. *Cicero libro de Claris oratoribus. Quintilianus l.10. Brodæus in Epigramma-* D *tis.* Rempublicam Athenienſium oratores contra Philippum & Alexandrum, reges Macedonum, inflammarunt, inquit *Plutarchus in Phocione*, Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Charidemus, Demades, Leoſthenes. Quorum improbitati obſiſtere voluit magis, quàm potuit Phocion. *Suidas* inquit: Antipater, ſuſcepto Macedoniæ regno, à Græcis Lamiæ in Theſſalia obſeſſus. Ætolis primùm, deindè cæteris digreſſis, evaſit, ac victor, decem Oratores poſtulavit, quos ei dediderunt Athenienſes: Demoſthenem, Hyperidem, Lycurgum, Polyeuctum, Ephialtem, Thraſybulum, Charetem, Charidemum, Diotimum, Patroclum, Caſſandrum. Diſcrepat ergo *Suidas à Plutarcho in decem Oratorum nominibus.*

Antiphon patrem habuit Sophilum, populo Ramnuſius fuit. Hic cùm patris fuiſſet auditor (nam fuit ille ſophiſtes, cujus ludum etiam Alcibiadem ajunt puerum adhuc frequentaſſe) facultateque dicendi nativa præditus, contulit ſe ad Rempublicam, ludumque aperuit: ab Socrate philoſopho in diſputationibus diſſentiebat, veritatis inquirendæ gratia. Scripſit orationes quaſdam civibus, qui id ab eo contenderunt: ad certamina forenſia primus, qui ei rei ſe dedit. Ex iis E certè, hunc qui anteceſſerunt, nullius erat judicialis oratio: ſed nec ex coævis ei. Primus artificium rhetoricum, ingenio acuto præditus, vulgavit: Unde eſt Neſtor dictus. Vixit bello Perſico, & Georgio ſophiſtæ fuit æqualis, ætate tamen inferior: pervenitque ad illud temporis, quo Reipublicæ popularis ſtatus eſt à quadringentis tyrannis diſſolutus; ad quod moliendum, hunc apparet adjutorem fuiſſe: qui modò duas triremes armavit, modò exercitum duxit, multis præliis victoriam retulit, ſocios illis multos conciliavit, juventutem in arma coegit, triremes complevit ſexaginta. Legatus, quando muniebatur Etionia, ad Lacedæmonios fuit. Oppreſſis quadringentis tyrannis, poſtulatus cum Archeptolemo uno ex quadringentis, & damnatus eſt, ſuppliciumque de eo ut proditore ſumptum, atque inhumatus eſt projectus, & cum ſtirpe ſua, infamia notatus. Alii tradunt, legatum Syracuſas navigaſſe, quo tempore Dionyſii majoris dominatio vigebat. Cùm autem incidiſſet quæſtio, quod optimum æs foret, inter multorum diſſenſiones eſſe illud eum oſtendiſſe optimum, ex quo Harmodii & Ariſtogitonis ſtatuæ factæ eſſent. Quo audito, ſuſpicantem Dionyſium, id dictum cohortationem eſſe ad conſpirandum in ſe, præcepiſſe, ut hic de medio F tolleretur. Alii, quòd tragœdias ſuas carpſiſſet, inflammatum. *Plut. in vita ejus.*

Andocides patre fuit Leogora, qui pacem quondam inter Athenienſes & Lacedæmonios pepegerat, nobili genere natus, ex Mercurii ſtirpe. Ad eum enim uſque Caduceatorum gens, ad Æthalidem genus ſuum referens, pertinet. Jejunus eſt & incomptus in orationibus faciliſque, & figuris caret. Floruit Socratis philoſophi tempore, dies ejus natalis incidit in LXXIIX. Olympiadem. Ita inferior hoc Lyſias fuit circiter centum annis. *Plutar. in vit. Andocidis.*

Lysias Cephali Syracuſani, qui Athenas Periclis ſuaſu commigrarat, filius, à triginta tyrannis proſcriptus, inde rursùs cum Thraſybulo reverſus, vixit annos octuaginta tres, & adoleſcentem vidit Demoſthenem. Vulgatæ ſunt orationes ejus quadringentæ vigintiquinque: ex quibus germanas ejus eſſe referunt Dionyſius & Cecilius ducentas triginta: nec niſi in duabus offendiſſe dicitur. Fuit facundiſſimus ac ſuccinctiſſimus, vulgavitque populo & plebi orationes ſuas. Scripſit etiam de arte rhetorica, concio- G nes, epiſtolas, laudationes, orationes funebres & amatorias, Socratis defenſionem, quam in judices direxit. Videtur eſſe, ſi dictionem ejus reſpicias, facilis: cùm eum tamen non quivis facilè imitetur. *Plutarchus.* Puritate dictionis neminem habuit imitatorem, præter Iſocratem. *Suidas. Cicero in Bruto* de ipſius ſtylo ſic ait: Lyſias gracile dicendi genus ſectatus eſt, quanquam in eo ſunt lacerti ſic, ut fieri nihil poſſit valentius: verùmtamen eſt genere toto ſtrictior. Habet tamen ſuos laudatores, qui hac ipſa ſubtilitate delectentur. Ejus tamen mentionem facit *in lib. de Finibus Quintilianus lib.10.c.1.* Phavorinus dicere ſolebat, ſi ex Platonis oratione verbum aliquod demas, muteſve, atque id commodiſſimè facias, de elegantia tamen detraxeris: ſi ex Lyſia, de ſententia. *Gellius l.2.c.5.*

Isæus genere fuit Chalcidenſis. Hic cùm Athenas ſe contuliſſet, in dictionum ſtructura & rerum ſolertia operam Lyſiæ dedit: ut niſi admodùm peritus horum formæ ſis, utrius horum orationes ſint, haud facilè diſcernas. Floruit poſt bellum Peloponneſiacum, pertinuitque ad Philippi regnum. Is etiam Iſæus docuit Demoſthenem ab otio avocatum, de- H cem millium drachmarum mercede. Unde vel maximè inclaruit. Hic etiam orationes adversùs tutores, ut quidam volunt, ſcripſit Demoſtheni. Reliquit orationes ſexaginta quatuor: quarum tamen ſunt veræ ejus quinquaginta tantùm. Primus conformare cœpit, & convertere ad genus dicendi politicum, mentem; quod potiſſimùm Demoſthenes adumbravit. *Plutarchus in vita Iſæi.*

Lycurgus, patre genitus Lycophrone Lycurgi filio, quem triginta tyranni necaverunt: populo Butades fuit, genere Ereobutadarum: auditor Platonis, initio philoſophiæ operam dedit. Inde Iſocratis oratoris aſſecla cùm fuiſſet, Rempublicam magna cum gloria dicendo & agendo tractavit, & verò etiam adminiſtrationi ærarii præfectus, urbi, & comprehendendis facinoroſis: quos in exilium omnes egit. Hinc dicebant ſophiſtæ nonnulli, Lycurgum non atramentum, ſed mortem illinere contra facinoroſos calamo, & ſic ſcribere. Quare cùm eum Alexander depopoſciſſet, non dedidit populus. Vir eſt moderatus, quamdiù vixit, habitus, in dicendoque commendatus: qui nulla in cauſa, quamvis multis accuſantibus,

A ſuccubuit. Inſtante fato, in Cereris matris fanum & curiam juſſit ſe deferri, quòd vellet rationes reddere actionum ſuarum. Cùm accuſare nemo eum, præter Meneſechmum, ſuſtineret, dilutis calumniis domum relatus, expiravit. *Plutarch. in vita Licurgi.*

Demostenes gladiorum faber, Præanienſis, Demoſthenem oratorem ex Cleobula filium habuit. Cui pupillo tutores dati ſunt tres, Aphobus, Demophon, Therippides. Qui cùm & ipſum & patrimonium ejus negligerent, ipſe Iſæo ſe erudiendum tradidit. Eruditus, curatores reos tutelæ peregit. Rhetoricam docere cùm vellet, ab eo inſtituto receſſit, propter calumniam de Moſchi filio, nobili adoleſcente, ſubortam. Poſt, orationes ſcribere aggreſſus, cùm ibi quoque crimini daretur, contrarias eum edere orationes Phormioni & Apollodoro: etiam ſtudio relicto, Rempublicam capeſſit. Quamquam autem balbus erat, & humerum indecorè movebat, & imbecilli auditu, & ſpiritu infirmo: hæc tamen incommoda correxit omnia, exercitatione. Actionem & pronunciationem ejus Andronicus excoluit. Functus eſt ædilitate, triremes inſtruxit, captivos redemit, puellis elo- B candis adjumento fuit. In ædilitate à Midia verberatus, ter mille drachmis, ut ajunt, placatus eſt. In gerenda Republica Philippo eſt adverſatus, eloquenter magis, quàm fortiter. Fœderis cum Thebanis ineundi auctor fuit Athenienſibus, atque adeò cladis ad Chæroneam à Philippo acceptæ. Adverſatus eſt etiam Philippi filio Alexandro. Cui quum Harpalus magna pecunia ſurrepta, ad Athenienſes confugiſſet: Demoſthenes qui & ipſe partem accepiſſe putabatur, Trœzenem in exilium profugit. Alexandro Babylone mortuo, in patriam revocatus eſt: ſed Antipater, ſuſcepto Græciæ principatu, decem Oratores ſibi dedi per legatos poſtulavit. Demoſthenes in Calauriam fugit, & ne ab Archia, Antipatri legato, per vim ex Neptuni æde extraheretur, quæ aſylum erat, veneno, quod ſub anuli pala habebat, exucto, mortuus eſt, anno ætatis octuageſimo ſecundo, cùm per viginti duos annos in Republica verſatus fuiſſet. *Suidas.* Hic eſt ille Demoſthenes, qui in artem contulit dicendi, quicquid ei vel natura, vel exercitatio ſolertiæ & eruditionis tribuit. Tranſgreſſus eſt nervis & vi dicendi æquales ſuos, qui in judiciis & foro verſabantur: gravitate & C ſplendore eos, qui demonſtrativum genus, & oſtentationi natum tractaverunt: argutia & arte ſophiſtas. *Plutarchus in Vitis.*

Æschines Athenienſis, Atrometi literatoris, & Glaucotheæ, ſive Leucotheæ ſacrificulæ filius, hiſtrio primùm, deinde ſcriba, pòſt orator, diſcipulus Alcidamantis Eleatis. Cùm violatarum legum reum feciſſet Cteſiphontem, à quo corona Demoſtheni decreta erat, victus Rhodum conceſſit, ibique docuit. Cùm cauſæ cujuſdam advocatus judices corrupiſſet, unà cum eis in carcerem conjectus, aconito hauſto interiit, ejuſque res familiaris publicata eſt. Orator inſignis, dulcis, remiſſus, & facetè pronuncians. Dorica Atticis moribus commiſcuit, extemporalemque orationem cum copia primus inveniendo, magnam laudem adeptus eſt. Nam in procinctu dicere (rem antea intentatam) dono quodam divino afflatus videbatur. Auditor & Platonis & Iſocratis, longè plura ex ſuo ingenio adduxit. Nam perſpicuitatem in dicendo retinuit, molliciemque & ornatum, & ſimul cum gravitate jucunditatem; & in totum, forma ejus orationis melior, quàm ut imitatione ſubigi poſſit. *Philoſtratus in Sophiſtis, & Sui-* D *das, & Volaterranus lib.13. c.3. Anthrop.*

Hyperides Glaucippi oratoris, aut Pythoclis filius, Athenienſis, unus è decem, diſcipulus Platonis & Iſocratis, bonus quidem orator evaſit, ſed victus eſt à mulieribus. Præfertur à multis Demoſtheni: orationes ejus legitimę extant quinquaginta duæ. Eum rex Antipater ex æde Cereris, quæ eſt Hermionæ, per Archiam eduxit, cognomento Phygadotheram, quaſi exulum venatorem dicas: reſectaque lingua, interfecit. Filius ejus Glaucippus oſſa in patrio monumento ſepeliit. Orationes ſcripſit quinquaginta ſex. *Suidas & Plut. in vitis Decem.*

Dinarchus Socratis vel Soſtrati, Corinthius, adoleſcens etiamnum, quo tempore Aſiam Alexander petierat, Athenas ſe contulit, collocatiſque ibi ſedibus audivit, Theophraſtum, qui Ariſtotelis ſcholam ſuſceperat. Conſuetudinem etiam cum Demetrio Phalerio habuit, cum clariſſimis oratoribus pugnavit, non in concionem prodeundo, quod facere dubitabat, ſed orationes adverſariis eorum ſcribendo: ac, poſtquam effugit Harpalus, in eos, qui in crimen vocabantur captæ pecuniæ, orationes conſcripſit complures, quas accuſatoribus pretio ſubminiſtravit. Ob ſtudium Antipatri & Caſſandri E proſcriptus, quindecim annis Chalcide exulavit, & ingentem ex arte quæſtum fecit. Reverſus Athenas, in hoſpitio publico aurum amiſit. Obiit Peloponneſi procurator ab Antipatro conſtitutus, Polyſpercontis inſidiis, poſt Antipatri obitum. *Suidas.*

Demades, Demeæ nautæ filius, nauta & naupegus ipſe etiam, & portitor: hoc quæſtu relicto, ad Rempublicam ſe contulit, factus demagogus, ut homo callidus & fortunatus. Judicia evertit, & oratoria certamina. Proditionis nomine poſſeſſiones Bœoticas dono à Philippo accepit. Demoſtheni Olynthios defendenti refragatus, Euthynatem Olynthium ignominia notatum, decreto reſtituit in integrum, & Athenienſium procuratorem effecit. Cùm geſti magiſtratus rationes referens, exploſus eſſet, peregrè abiit: Neque ipſi veſtri juris (inquit) eſtis, & juris in me nihil habetis. Scribebat autem Philippo, & filium ad eum mittebat: alebat equos, victor Olympiæ. Decreta enim fecit, ut Græci Philippo parerent. Ad Chæroneam captus, dimiſſus eſt, & legatos captivos à Philippo impetravit. Bis eſt violatarum legum reus peractus. *Suidas.* Cùm ad Macedonum & Antipatri nutum Rempublicam ge- F rens, multas leges rogare, multaque dicere cogeretur, præter civitatis dignitatem & morem: ignoſcendum dicebat ſibi eſſe, quòd naufragia civitatis gubernaret. Reverà autem ipſe naufragium Reipubl. qui ita inſolenter vixit, ut de illo diceret Antipater jam ſene, Ex eo ſicut hoſtia immolata linguam modò & ventrem ſupereſſe. Addebat & illud, duos ſeſe Athenis amicos habere, Phocionem & Demadem: quorum hunc dando implere, illum ut quicquam caperet, inducere nequiret. Legatus miſſus ad Antipatrum jam animam agentem, à Caſſandro tribuno militum, quòd cum hoſtibus faceret, cum filio crudeliſſimè necatus fuit. *Plutarchus in Phocione.* Eum quidem omnes, ubi naturam ſuam ſequeretur, fatentur cæteris præfulſiſſe, ac ſuperatas ab ejus extemporanea dictione Demoſthenis lucubrationes, & apparatum. *Plut. in Demoſthen.*

Demades Laciades, Athenienſis, à ſuperiore Demade adoptatus, & demagogus, tibicina natus, pater Demeæ oratoris, ab Antipatro Caſſandri patre, Alexandri ſucceſſore, in lacum Amphipolitanum conjectus periit. *Suidas.*

G Eubulus demagogus clariſſimus, diligens atque induſtrius, cùm magnam pecuniam coegiſſet, eam Athenienſibus diſtribuit. Unde factum, ut civitas illo gubernante ignaviſſima & deſidioſiſſima evaderet. *Suidas.*

Nicostratus, Macedonum orator, relatus eſt in numerum eorum, qui ſecundum à decem oratoribus locum tenuerunt, æqualis Ariſtidis & Dionis Chryſoſtomi, ſub M. Antonino Imp. *Suidas.*

Apud Romanos Tribuni plebis, ſeditioſiſſimi homines, non populari tantùm gratia, verùm etiam eloquentia plerumque valuerunt: ſi non vera illa & laudabili, at certè ea quam populus cum plauſu exciperet, & approbaret. Itaque factum, ut optimatibus politicis, plebeii *δημαγωγοὶ* opponerentur. Tales fuerunt Tiberius, & C. Gracchi, & poſt Gracchos L. Apulejus Saturninus: quorum in Bruto Cicero mentionem facit. Tiberio Graccho legem proponenti, divites & locupletes ſeſe opponebant: verùm nihil proficiebant: ſiquidem in præclaro argumento & juſto decertans Tiberius facundia, qua valebat redimere vel turpiores materias, vehemens erat & inexpugnabilis, cum circumfuſa concione conſiſtens in roſtris, hoc modo ageret pauperum cau- H ſam: Feras etiam Italiam incolentes luſtra habere & cubilia ſingulas ſtabulaque: Illis verò, qui arma ferrent pro Italia, & ſanguinem profunderent, nihil præter aera & lucem concedi, ſed ſine tectis ſedibuſque cum liberis & conjugibus vacari. Ludibrio haberi ab Imperatoribus milites, cùm eos adhortantur in acie, ut pro aris & focis dimicent. Nemini enim in tanto numero civium, vel aram paternam eſſe, vel domum avitam: verùm pro alienis deliciis opulentiaque belligerare & mori. Nominari orbis terræ dominos, qui ne glebam quidem, ubi pedem ponant in ſuo, habeant. Hæc verba à magno animo & vero animi motu in populum demiſſa, quæ fanaticum eum & lymphatum reddebant, nemo ſuſtinebat adverſariorum. *Plutarchus.*

C. Gracchus, etiamnum juvenis, vocaliſſimus erat & firmiſſimis lateribus ad dicendum. Cum amici cujuſdam Veſtii rei cauſam defenderet, populo præ gaudio lymphato & bacchante, cum eum audiret, oſtendit, cæteros oratores nihilo pueris præſtare. *Plut. in Cajo.*

En-

A Ennius Cethegum Suadæ medullam vocavit: ut quam deam Πειθὼ in Periclis labris Eupolis ſcripſit ſeſſitare, hujus hic medullam Cethegum fuiſſe dixit. *Cic. lib. 3. de Oratore.*

M. Cato Cenſorius, antequam Reipublicæ ſe daret, orationem ſicut alterum corpus & organum, non honeſtum modò, verùm etiam neceſſarium viro, qui non in obſcuro ſit, neque in otio victurus, continuo patricinio eorum, qui operam ſuam requirebant, in finitimis vicis & oppidulis inſtruxit & aptavit. Ac primùm acris habitus eſt cauſarum actor, deinde orator inſignis: ita ut multi eum Demoſthenem togatum appellarint. Oratio moribus ejus conveniens, lepida ſimul & gravis erat, jucunda & fulminans, faceta & auſtera, ſententioſa & acris: qualem Plato Socratem dicit, foris rudem, dicacem & mordacem viſum convenientibus, intùs ſerii plenum fuiſſe, & rerum, quæ lacrymas excitarent, & cor verſarent auditorum. Sunt qui Catonis dictionem Lyſiæ orationi comparent potiſſimùm, ſed parùm rectè. *Plut. in Catone.*

M. Crassus ex litterarum ſtudio artem oratoriam, & eam B qua uti publicò poſſet, potiſſimùm eſt meditatus. Qui quanquam eſſet inter Romanos eloquentiſſimus, ſedulitate tamen & labore ſuperavit ſummè ad eam artem factos. Nullam enim referunt cauſam fuiſſe adeò tenuem & levem, ad quam imparatus accederet: ſed Pompejo frequenter & Cæſare recuſante dicere, ac Cicerone, ille abſolvebat defenſionem. Qua de cauſa, in primis gratus fuit, tamquam ſolicitus, & ad ſuccurrendum promptus. *Plut. in Craſſo.*

Cum Cn. Manlius, homo ſumma temeritate, pernicioſiſſimas leges ferre vellet, ut libertinis in omnibus tribubus adſcribi & ſuffragari liceret, Cn. Domitius, prætor eloquentiſſimus, hominem importunum luculentiſſima oratione adeò confregit, ut ſublata rogatione turpiſſimè deſtiterit. *Alexander ab Alexandro l.1.c.17.*

M. Drusus gravis orator fuit, cum de Republica diceret. M. Octavius Cn. filius legem Semproniam frumentariam populi frequentis ſuffragiis abrogavit. *Cic. in Bruto.*

L. Torquatus non tam rhetor, quàm *πολιτικὸς* fuit. Erant in eo plurimæ litteræ, interiores quædam & reconditæ, divina memoria, ſumma verborum & gravitas, & ele- C gantia. *Idem.*

M. Antonius Triumvir, Antonii Critici filius, M. Antonii oratoris nepos, in Græcia facultatem dicendi excoluit. Secutus eſt Aſiaticum dicendi genus, quod ea tempeſtate maximè florebat, oppidò moribus ſuis congruens, inſolentibus, elatis, inaniſque jactantiæ & inconſtantis ambitionis plenis. *Plutarchus in Antonio.*

Lucullus eloquens valdè fuit, atque utraque lingua exercitatus. Itaque rerum ſuarum geſtarum commentarios ab ſe ſcriptos Lucullo dedicavit Sylla, ad concinnandam & digerendam politiùs hiſtoriam. Fuit enim ejus non ad uſum modò forenſem accurata & prompta oratio, verùm etiam honeſtas haſce atque ingenuas, quas vocant, litteras paraverat, etiamnùm adoleſcens. Cicero in Bruto eum acutum oratorem vocat. Ætate jam provectiore mentem ex multis certaminibus laxatam, ad otium & quietem detulit philoſophiæ, eamque ad rerum cognitionem excitavit, inhibens in tempore & conſtringens ex concertatione cum Pompejo ambitionem. *Plut. in Lucullo.*

Cato minor excoluit etiam dicendi in concione faculta- D tem. Haud præſentibus aliis tamen exercuit ſe, neque quiſquam audivit declamantem: ſed & amico dicenti, Homines ſilentium tuum Cato reprehendunt: Modò, inquit, ne vitam: tunc ad dicendum accingar, cùm non dicturus ſim ſilentio digna. Baſilicam, quæ Porcia dicitur, dedicaverat in Cenſura Cato Major. In ea Tribuni plebis dare audientiam ſoliti, cum columna ſubſelliis officere videretur, eam deliberaverant removere, vel trajicere. Id Catonem primùm protraxit in forum, invitum. Nam objicit ſe illis, mirificumque dedit eloquentiæ pariter & animorum ſpecimen. Etenim nihil oratio juvenile, nihil fucatum habebat: ſed erat elata, plena, & aſpera; urbanitas tamen aures mulcens, ſententiarum diſtinguebat brevitatem: moreſque ejus in oratione elucentes, condimentum quoddam & mel ſeveritati præbebant non injucundum. Vox erat ſatis canora & ſufficiens, ut à tanto populo exaudiretur. Vires & latera firmiſſima habebat, & indefatigata. Nam ſubinde, cùm integrum diem diceret, non eſt confectus. Cùm eam cauſam obtinuiſſet, reduxit ſe ad ſilentium de integro & ad commentationem. *Plutarchus in Catone.*

C. Julius Cæsar Rhodi Apollonio Moloni operam dedit. E Dicitur ad urbanam facundiam optimè fuiſſe comparatus, ingeniumque excoluiſſe ſedulò, ſecundas ut citra controverſiam ferret: primas verò in ea potentia, potiùs ut armis eſſet primus, reliquiſſe aliis: neque eam, quò ducebat eum natura, vim dicendi (quò expeditionibus & tractandæ Reipubl. vacaret, quibus artibus imperium quæſivit) eſt aſſecutus. Ac poſtmodùm in oratione, qua Ciceronis Catoni reſpondet, deprecatur: ne quis hominis militaris dictionem cum oratoris ſolertis, multumque ea in re otii ponentis, contendat eloquentia. *Plut. in Cæſare.*

M. Cicero, cùm doctiſſimus, humaniſſimus, & prudentiſſimus fuit, tum non eloquens, ſed miraculum eloquentiæ. Effinxerat enim vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis. Nec verò quod in quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantùm: ſed plurimas, vel potiùs omnes ex ſeipſo virtutes extulit, immortalis ingenii, ut ait Quintilianus, beatiſſima ubertas. Non enim pluvias, ut ait Pindarus, aquas colligit; ſed vivo gurgite exundat, dono quodam providentię genitus, in quo totas vires ſuæ eloquentiæ experiretur. Quare non immeritò ab hominibus ſuæ ætatis regnare F in judiciis dictus eſt: apud poſteros verò id conſecutus, ut non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur: tantaque illius eſt in dicendo divinitas, ut ille etiam multùm profecerit, cui Cicero valdè placebit. Eum tamen, ſicuti ſcriptum eſt à Quintiliano, ſuo tempore homines inceſſabant, ut tumidiorem, & Aſianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidum, & in compoſitione fractum, & exultantem, ac penè, quod procul abſit viro, molliorem. Idem ipſe de ſe non negat, quin Aſiaticus fuerit in adoleſcentia; ideòque reformandum ſe Apollonio Moloni apud Rhodios tradidiſſe: qui orationem ejus redundantem nimis, ac ſuperfluentem juvenili quadam impunitate, & licentia, repreſſerit, & quaſi extra ripas deſſluentem coercuerit. Sed meliùs eum ætas compreſſit, quàm magiſter. *Ludovicus Vives lib.2. de Ratione dicendi, ex Plutarcho. Vide Cælium l.25. c.3.*

Anatolius Berytenſis, Jureconſultus eloquentiſſimus, præfectus prætorio Romæ ſub Conſtantio, problema de Statu omnibus Græciæ rhetoribus per literas propoſuit, ad quod, ubi in Græciam veniſſent, reſponderent. *Eunapi. in Proæreſio.* G

Duces.

☞ *Conſule Tit. Principum Doctorum, item Oratorum, quatenus ſcilicet iidem interdum domi, interdum foris in bello, ſuæ eloquentiæ dant ſpecimina. Ex Tit. quin etiam, Ad bellum accendere, & Milites ad pugnam hortari, non pauca huic loco idonea mutuari poſſunt.*

Alcibiades Athenienſis, dux bellicoſus & eloquentiſſimus fuit, teſte Demoſthene & Theophraſto, *apud Volaterranum l.13.c.3. Anthrop.*

C. Julius Cæsar eloquentia militaris (qua aut æquavit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit) poſt accuſationem Dolabellæ haud dubiè principibus patronis annumeratus eſt. Certè Cicero ad Brutum oratores enumerans, negat ſe videre, cui Cæſar debeat cedere: atque eum elegantem ſplendidam quoque, ac etiam magnificam ac generoſam quodammodo rationem dicendi dicere; & ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcribit: Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis ſententiis H aut acutior, aut crebrior? Quis verbis, aut ornatior, aut elegantior? *Svetonius.*

Legati.

Athenienſes Oropum ſociam urbem diripuerant. Romani mulctam talentorum ferè quingentorum eis impoſuerant. Quã ut deprecarentur, legatos miſere tres Romam, Carneadem Academicum, Diogenem Stoicum, & Critolaum Peripateticum: qui in Senatum introducti, interprete uſi ſunt Cæcilio Senatore. Ipſi alioqui ſeorſum quiſque, oſtentandi ingenii gratia, magno conventu hominum diſſeruerunt. Carneadis oratio ampla, vehemens & rapida: Critolai gracilis, teres, & venuſta: Diogenis in medio horum, modeſta & ſobria fuiſſe perhibetur. *Gellius lib. ſeptimo, c. decimoquarto Noctium Atticarum, & Plutarchus in Catone.* M. Cato certè, Carneade audito, palam dixit in Senatu: Ab eo viro cavendum eſſe, qui ob eloquentiam & diſſerendi facultatem facilè, quæcunque vellet, impetrare poſſet. *Volaterranus l.14.c.2.*

Cineas Theſſalus, auditor Demoſthenis, legatus Pyrrhi, cum ad civitates mitteretur, ſuffragabatur Euripidis dicto,

 Om-

A Omne id expugnare verba compta, ferrum quod minax poſſit. Pyrrhus certè profitebatur, urbes plures per Cineam oratione, quàm armis ab ſe ſubactas. Habebat eum perpetuo in honore rex, ejuſque utebatur maximis in rebus opera. *Plut. in Pyrrho.*

Crates Mallotes, Pergamenus, Romam inter ſecundum & tertium bellum Punicum miſſus legatus ab Attalo, primus grammaticæ ſtudium in urbem intulit. Cùm enim in Palatii regione, in cloacæ foramen prolapſus, crus fregiſſet, per omne legationis ſimul & valetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις fecit. *Svetonius.*

Anaximenes Ariſtoclis filius, Lampſacenus, diſcipulus Diogenis Cynici, & Zoili Amphipolitani grammatici, præceptor Alexandri Macedonis, eumque in bellis ſecutus, ad Alexandrum Lampſacenis iratum, quòd Perſis ſtuderent, legatus miſſus eſt. Alexander cauſa adventus cognita, cum per deos juraſſet, ſe contraria precibus ejus facturum, Anaximenes: Hoc ergo peto (inquit) ut uxores & liberos Lampſacenorum ſub corona vendas, & templa incendas, & urbem ſolo æques. Rex jurejurando obſtrictus, vel invitus Lampſa- B cenis pepercit. *Suidas.*

Edixerat Domitianus Imperator, ne in Aſia vites haberentur, quoniam vini ubertate, ſeditionibus agitari videretur. Legationem publicam viſa tum res exigere, virumque prudentem & eloquentem. Omnium ſuffragiis huic muneri præficitur Scopelianus ſophiſta. Qui ſuæ eloquentiæ vi, non ſolùm id conſecutus eſt, quod erat caput, ne cui fraudi foret, plantaſſe vites: ſed inſuper, ut pœna irrogaretur, qui eo munere abſtinuiſſet. *Cælius l.20. c.11. ex Philoſtrato.*

Eustathius Capadox, Ædeſii ſucceſſor in patria, eloquentia ſumma, Lamblichi diſcipulus, ad Saporem regem Perſarum legatus miſſus, ſic delinivit in convivio regem, ut parum abfuerit, quin rex thiaram abjecerit, & paludamentum cum penula Euſtathii commutarit. Sed aulici prohibuerunt, qui merum præſtigiatorem eſſe dicebant, & Imper. Romano reſpondere jubebant, Cur pro legato ſervum ſophiſtam mitteret? Tota Græcia pro reditu ejus vota faciebat, neque tamen rediit. Soſipatram duxit uxorem, ſapientiſſimam fœminam & fatidicam. *Eunapius.*

☞ *Pete plura ex Titulo Legatorum.*

C

INTERPRETES.

Nicolaus Saguntinus, utraque lingua diſertiſſimus, interpres fuit Græcorum & Latinorum in Concilio Ferrarienſi primùm, deinde Florentino. *Æneas Sylvius c.54. Europæ.*

CAUSIDICI, PATRONI.

☞ *Quære* Advocati, & Causidici.

ELOQUENTIA CONSIDERATA RESPECTU SEXUS ET ÆTATIS.

HUC EXEMPLA eloquentium.

VIRORUM.

☞ *Vide Tit. Eloquentium in genere, & Cauſidicorum.*

MULIERUM.

Cornelia Gracchorum mater eloquentiſſima, à cujus uberibus filii ſuadæ illam medullam ſuxerunt. *Plut. in Gracchis.*

Amesia, prætoris ſententia rea, cauſam ſuam, L. Titio præ- D tore judicium cogente, populi maximo concurſu egit: motuſque omnes ad nervos defenſionis non ſolùm diligenter, ſed etiam fortiter executa, & prima actione, & ferè cunctis ſententiis liberata eſt. Quam, quia ſub ſpecie fęminæ virilem animum gerebat, Androgynem appellabant. *Valerius lib.8. c.3.*

Hortensia Q. Hortenſiii filia, cum ordo matronarum gravi tributo à Triumviris eſſet oneratus, nec quiſquam virorum patrocinium eis accommodare auderet: cauſam fęminarum apud Triumviros & conſtanter & feliciter egit; repræſentata enim patris facundia, impetravit, ut major pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Revixit cum muliebri ſtirpe Q. Hortenſius, verbiſque filiæ aſpiravit. Cujus ſi virilis ſexus poſteri vim ſequi voluiſſent, Hortenſianæ eloquentiæ tanta hæreditas una fęminæ actione abſciſſa non eſſet. *Ibidem.*

Caja Afrania, Licinii Bructionis uxor, prompta ad lites contrahendas, pro ſe ſemper apud prætorem verba fecit: non quòd advocatis deficeret, ſed quòd impudentia abundabat. Itaque inuſitatis foro latratibus aſſiduè tribunalia exercendo ad muliebris calumniæ notiſſimum exemplum evaſit: adeò ut E pro crimine improbis fęminarum moribus, C. Afraniæ nomen objiciatur. Prorogavit autem ſpiritum ſuum ad C. Cæſarem, itemque M. Servilium conſulem. Tale enim monſtrum magis, quo tempore extinctum, quàm quo ſit ortum, memoriæ tradendum eſt. *Ibidem.*

Eunomia virgo Chriſtiana, ſicut apud Hieronymum legitur, Nazarii rhetoris filia, in eloquentia patri coæquatur. *Ludovicus Vives, de Chriſtiana fœmina lib.1.*

Facundia fœminæ non congruit. Multarum linguas antiquitas eſt mirata, ut Corneliæ Gracchorum, Mutiæ, Læliæ, Hortenſiæ: non tam quòd multa facundè differerent, quàm quòd pauca purè ac incorruptè: denique non tam didicerant illas artes, quàm eis ex domeſtica conſuetudine erant infectæ: ut ſine labore, aut ſenſu ullo diſcendi, à patribus eas videantur accepiſſe. Hodie verò in Aulis educatam, ſi diis placet, nominant, imprudenter ac impudenter loquaculam: quòd multa effutiendo, neque unquam faciendo finem loquendi, tenere confabulonem in multas horas poſſit, ne facto utrinque ſilentio, ſit diſcedendum. Quid exiſtimandum eſt locuturam tamdiù imperitam puellam cum F adoleſcente non multò ſapientiore, niſi vel ſtulta, vel obſcœna? Et hanc demùm vocant diſciplinam aulicam: videlicet illius ſcholæ, in qua & aliæ diſcuntur artes, magiſtri Diaboli. En quò mores hominum ſunt delapſi, quàm inverſa omnia, ut tacere fœminam turpe exiſtimetur: id eſt, pulcherrima ejus virtus, fœda videatur ac deformis. *L. Vives de Officio mariti.*

ADOLESCENTUM.

Demosthenes, ut in ætatem venit tutelæ, egit cum tutoribus ſuis, qui partem patrimonii ejus interverterant. Tres erant, Aphobus, Theripides, Demophon, vel Demea, quem præcipuè accuſavit avunculum ſuum; ſinguliſque litem æſtimavit denis talentis, eoſque damnavit. Verùm ex condemnatione nihil exegit, ſed alios pecunia, alios gratia inductos, liberavit. *Plutarchus in vita Demoſthenis.*

Hermogenes Tarſenſis decimooctavo ætatis anno ſcripſit ea, quæ cum admiratione leguntur, præcepta. Quadriennio poſt incerta de cauſa mentem amiſit, & ut unus è multis G ad ſenectutem pervenit.

SENUM.

☞ *Conſule Tit. Rhetorum, ne eadem exempla ſæpiùs repetere ſit neceſſe.*

ELOQUENTIÆ VIRES, SUCCESSUS, EFFECTUS, ORATORES QUI PERSUASERE.

Cum Phacee Iſraeliticus Rex, Achaz Judæorum regem bello viciſſet, & Judæorum circiter ducenta millia captiva duceret: ei Obed Propheta occurrit, adeòque blandè agendo, orando, monendoque profecit, ut ex immani ſuperboque (quales victoria homines facere ſolet) ad ſummam clementiam, victorem traduceret. Impetravit enim, ut non ſolùm captivi liberarentur: verùm etiam, ut, qui amiſſis omnibus nudi erant relicti, veſtirentur. *Fulgoſus libro 8. capite 9.*

Cum recèns eſſent homines nati, magnus inter hos ac reliqua animantia tumultus erat, propterea quòd non poſſent invicem uti ſeſe. Nec enim ulla res intercedebat, quæ illos conciliaret: verùm qui potentiores erant, opprimebant in- H feriores. Neque ſatis erant idonei, ut reliquis animantibus reſiſterent. Omnibus enim illis omni ex parte inferiores erant, aliaque in re ab aliis vincebantur; veluti ab univerſo genere volucrum, celeritate. Unde factum eſt, ut quod ait Homerus, Pigmæis accidiſſe à gruibus, id tum temporis paſſim à robuſtioribus avibus paterentur mortales. Rursùm quantum ad vires attinebat, longè ſuperabantur, & à leonibus, & ab apris, & aliis item compluribus. Atque in hunc modum ſilentio peribant. Jam verò quoad munitionem vallumque corporis, non corvis modò, verum etiam cochleis cedebant; neque cuiquam ex ipſo ſuppetebat, quod ad tuendam vitam erat opus. Itaque cum ad eum modum interiret hominum genus, ac paulatim dilaberetur, Prometheus orator aſcendit in cœlum, mortalium nomine: non ille quidem miſſus ab iis (neque enim tum id temporis legatos ullos erat cernere) ſed ipſe ultroneus abiit. At Jupiter partim in gratiam Promethei, maximè qui juſta poſtulare videretur: partim negotio apud ſeſe conſiderato, filium ſuum Mercurium jubet ad homines deſcendere, Rhetoricen ſecum adducentem. Edixit autem, ut

eam

A eam mortalibus impertiret, non (quemadmodum Prometheus omnibus ex æquo ſenſus reliquaque corporis membra perinde quaſi theatralem pecuniam diſpertiebat) ut omnes ex æquo rhetorices eſſent participes, non aliter, quàm oculorum, manuum, ac pedum: ſed ut præſtantiſſimos quoſque ingenioque generoſiſſimo præditos deligeret, atque iis munus hoc impertiret, ad ſuam ipſorum & aliorum incolumitatem tuendam. Porrò poſteaquam rhetorica jam ad mortales perveniſſet, cum negotium, quod habebant cum belluis moleſtiſſimum, licebat effugere, tum verò deſierunt undequaque inter ſeſe ſimultatem exercere, reperto commerciorum initio. Digreſſique de montibus, alii in aliam orbis partem jungebantur, principio quidem ſub dio viventes, poſt autem ubi verbis inter ſe communicaſſent, & civitatem condiderunt, ac diſtributi ſunt: non, quemadmodum antea, temerè; verùm in ordines plebis ac belli duces, ſanctiſque legibus, tum principis, tum reipublicæ ſtatum inſtituerunt. Diis munera cœperunt offerre, primitias auſpicantes ab oratione. Quibus nunc quoque vel maximè gaudere deos conſentaneum eſt: quandoquidem hac contigit, ut primùm eſſe B deos cognoſceremus. Hinc deinceps ita crevit homo, ut qui initio debilis fuerat, atque invalidus, poſteà in altum tolleretur: quique anteà pro nihilo habitus, ac deſpectus erat, deinceps factus eſt omnium, quæ ſunt in terra, dominus: cui quibus uti liberet, jus eſſet, non alio propugnaculo ſibi parato, quàm oratione. *Ariſtides in 2. lib. quem contra Platonem pro rhetorica ſcripſit.* Erat fabella non diſſimilis apud Platonem in Protagora. *Eraſmus in proverbio*, κοινὸς ἑρμῆς.

Deucalion ex ſaxis homines formaſſe fingitur, non aliam ob cauſam, quàm quia oratione ſua primos homines ad mitiorem vitam traduxit.

Orpheus Thrax, & Amphion Thebanus, ore ſuo ſaxa, ſylvas, volucres atque feras moviſſe dicuntur. Primi enim fuerunt, qui agreſte genus hominum eloquentia ſua in unum collegerunt, & communis ſocietatis utilitate propoſita, ut domos primùm, deinde vicos, mox urbes colerent, auctores fuerunt: præclarè igitur *Horatius in arte poetica:*

Sylveſtres homines ſacer interpreſque deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones.
C *Dictus & Amphion, Thebanæ conditor urbis,*
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis, ſecernere ſacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Magni illi & Jove Prognati Reges, ut ait Homerus, purpuris, ſceptris, ſatellitibus, & divinis oraculis faſtum ſibi ipſis conciliantes, atque ampla illa ſpecie mancipantes ſibi vulgus, quaſi anguſtiores, voluerunt tamen

Dicere uti poſſent rectè res & gerere amplas,
Neque repudiaverunt dictionis elegantiam: neque
Suggeſtus, quo præclarum ſibi nomen haberent.

Neque Jovem conſilii auctorem ſolùm ciebant, neque Martem bellatorem & bellonam Minervam: verùm Calliopen quoque implorabant:

Reges nimirum reverendos quæ comitatur:

Demulcens blandimentis, & deliniens populorum contumaciam, & ferociam. *Plut. in Præcept. polit.*

Theseus, cum in unam civitatem ex agris Athenienſium D populum compuliſſet, Veneris popularis & Suadelæ cultum induxit: huic propter politiæ conſtitutionem, quoniam eloquentia ſua rudi populo converſationem hanc politicam perſuaſiſſet: illi ob civitatis conſervationem. *Pauſ. in Atticis.*

Solon Salaminius, cum inter Athenienſes & Megarenſes ferè uſque ad internecionem pro Salamina depugnatum eſſet, & capitale apud Athenienſes eſſe cœpiſſet, ſi quis legem de aſſerenda inſula ferret: furore poetico ſe percitum ſimulans in concionem lymphatici habitu prodiit, & carmina per præconem populo præpoſuit (cum priùs tamen ignarus poeticæ ab omnibus haberetur) civiumque animos ad bellum ſuſcipiendum, & Salaminam repetendam, animavit. Rethorices ope uſum quis neget? Poeticam tamen ſimulavit, ut plus auctoritatis ſibi conciliaret, & dei afflatu verſus edere videretur. *Polyænus lib. 1.* Verſus autem quibus illos potiſſimùm perſuaſit, hi fuerunt, teſte *Laertio:*

Εἴην δή ποτ' ἐγὼ φολεγάνδριος ἢ σικινήτης,
Ἀντί γ' Ἀθηναίου, πατρίδ' ἀμειψάμενος.
Αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ' ἀνθρώποισι γένοιτο,
Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμῖν ἀφέντων·
Ἴομεν ἐς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου
Ἱμερτῆς, χαλεπόν τ' αἶσχος ἀπωσάμενοι.

E

Pisistratus dicendo tantum valuit: ut ei Athenienſes regium imperium, oratione capti, permitterent; cùm tamen ex contraria parte amantiſſimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius ſalubriores erant conciones, alterius diſertiores. Quo evenit, ut alioqui prudentiſſima civitas libertati ſervitutem præferret. *Valerius l.8. c.9. & Volaterranus l.18.*

Pytagoras Crotonem Italiæ urbem (cujus populus gravi prælio attritus, armorum deſperationem, atque omnis virtutis odium ſimul hauſerat) vocatus, labentes & jam in luxuriam prolapſos civitatis mores, ſapientiæ ac eloquentiæ ſuæ præſidio firmavit, erexitque. Tantumque apud eos valuit, ut populum non minùs vitiis quàm ferro domitum, aſſiduis monitis ad antiquę virtutis habitum traduceret. *Petrarcha, & Volaterranus l.18. Anthropologiæ.*

Tyrtæus Athenienſis ludimagiſter, Lacedæmonios ſuis carminibus ita inflammavit, ut cum à Meſſeniis ter eſſent victi, illius eloquentia priſtinam fortitudinem recuperarint. Itaque ſinguli ſua parentumque nomina libro inſcripta, lacertis alligarunt, ut ſi in prælio cecidiſſent, corpora internoſci à neceſſariis, & rogo mandari poſſent. F ☞ *Vide Tit. Poetar. Ethic.*

Themistocles eloquentia ſua Athenienſibus perſuaſit, ut argenti fodinarum annuos reditus, qui quotannis populo viritim dividebantur, ad ædificandam claſſem transferrent, ſuaque alimenta reipublicæ commodis devoverent. *Plut. in ejus vita.*

Pericles, reipublicę gubernandę ratione, verbo, ut ait Thucydides, popularis: re, ſub viro primario ob eloquentiæ vim fuit principatus. *Plut. in Præceptis politicis.* Ille liberis Athenarum cervicibus jugum ſervitutis, eloquentia ſua, impoſuit. Egit enim illam urbem, & verſavit arbitrio ſuo. Cùmque adversùs voluntatem populi loqueretur, jucunda nihilominùs & popularis ejus vox erat. Itaque veteris comœdiæ maledica lingua, quamvis potentiam viri perſtringere cupiebat, tamen in labris hominis, melle dulciorem leporem fatebatur habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quaſi aculeos quoſdam relinqui, prædicabat. Fertur, cum quidam G admodùm ſenex primæ concioni Periclis adoleſcentuli intereſſet, idemque juvenis Piſiſtratum decrepitum jam concionantem audiviſſet, non tamen temperaſſe ſibi, quò minùs exclamaret: Caveri illum civem oportere, quòd Piſiſtrati orationi ſimillima ejus foret oratio. Nec hominem aut æſtimatio eloquii, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Piſiſtratum, & Periclem interfuit, niſi quòd ille armatus, hic ſine armis tyrannidem geſſit? *Valerius Maximus lib.8. c.9.*

Epaminondas Thebanus, cum in Græciæ concilio de Lacedæmoniorum tyrannide & libidine dominandi multa diſſeruiſſet: uſque adeò Græcorum animos commovit, ut à Lacedæmoniis deficerent, & Leuctricæ calamitatis otioſos ſpectatores ſeſe exhiberent. Itaque priùs lingua ſua, quàm armis Lacedæmonios vicit Epaminondas. *Probus in ejus vita.*

Thucydides populo Athenienſi præfuit, tandem patria pulſus, ad exilii ſolamen Tragœdiam ſcripſit, tanta arte, ut cùm eam Athenienſes audiviſſent, publico conſenſu eum ab exilio revocarint: cujus imperium neglexerunt, ejus (ut ait Plinius) eloquentiam mirati. *Petrarcha.*

A Gorgia Leontino primò variæ dicendi artes & exorna- H tiones inventæ traduntur: tum in exercitatione & declamandi uſu peritiaque cæteros adeò ſuperavit omnes, ut à diſcipulis minas centum acciperet pro mercede doctrinæ. Is miſſus à civibus ſuis ad auxilia ab Athenienſibus contra potentiam Syracuſanorum impetranda, Athenis in populi conventum adductus, multa variè diſſerere cœpit: & peregrino quodam dicendi artificio uſus, adeò diſerta lingua ſingula quæque proſequi viſus eſt, ut Athenienſes ingenio quidem acuto, & natura eloquentes (alioquin quoque ſermonis percupidos) tam compti, tamque felicis admiratione proloquii captos, in ſtuporem converterit, & auxilia impetraverit. *Diodorus l.12.*

Panegyricæ orationis, quam Iſocrates jam ſenex Græcis exhibuit, fama in Macedoniam pervenit: atque primùm quidem Philippum adversùs Aſiam extimulavit: illo verò mortuo, Alexandrum filium ejus, hæredem paternæ virtutis, ad regnum Perſarum evertendum adhortata eſt. *Ælianus l. 13. de Varia Hiſtoria.*

Demostenes magnum ex eloquentiæ ſtudio nomen reportavit, totius Græciæ conſenſu, quæ eo loquente pacem

 & bel-

A & bella ſuſcepit, ſuſcepta depoſuit; fœdera cum regibus junxit, juncta quoque diſſolvit. *Sabellicus de ſenectute lib. primo c. ſexto.* Ejus eloquentiam cum alia commendant, tum id præcipuè, quòd Athenienſibus ad Amphipolim à Philippo cæſis, & Thebanis Phocica calamitate territis, mutis reliquis præ metu, ſolus perſuadere potuerit, ut inito fœdere contra Philippum, etiam poſt victoriam pacem petentem, arma ceperint, & ſeſe ad Chæroneam Macedonibus objecerint. Admiratus eſt eum Perſarum rex, & muneribus delinivit, ut eloquentia ſua Græcos in Philippum concitando, regni Perſici æmulum peſſundaret. *Plutarchus in Demoſthene.*

Philippus rex Macedonum, non minores res oratione quàm prælio confecit; & magis ſibi placebat, ſi quam verbis adeptus eſſet victoriam, quàm ſi quos armis in ſuam poteſtatem redegiſſet. Horum enim partem ſibi vendicare milites exiſtimabat, cùm illa ad ſuam unius laudem pertineret. *Polyæn. lib.* 4.

Hegetorides Thaſius eloquentia ſua, contra legem, fœdus cum Athenienſibus faciendum eſſe, Thaſiis perſuaſit. *Poliænus lib.* 1.

B Hegesias Cyrenaicus, tam potentis fuit eloquii, ut cum vitæ hujus deploraret miſerias, plurimi audientium vitam ſpontè reliquerint. Itaque Ptolomæus rex vitæ ſuorum conſulens, indicto ſilentio ejus ſcholam clauſit, calamum non excuſſit. Librum enim reliquit, in quo enumeratis hominum calamitatibus, ita definit, nulli omninò mortalium ut vivat, expedire. Inventus eſt igitur, qui lecto Hegeſiæ libro, nulla vel animi vel corporis interveniente moleſtia, ſe in undas maris ex muro præcipitem dedit. Cujus tumulo Callimachus titulum inſcripſit, genus & cauſam mortis continentem. *Cicero in Tul. & Valerius Maximus lib. 8. c. 9.*

Cineas, Pyrrhi Epirotharum regis legatus, plures urbes eloquentia ſua, quàm Pyrrhus armis, ſubegit: idque vel ipſius Pyrrhi teſtimonio. *Plut. in Pyrrho.*

Carneades Philoſophus, legatus Romam ab Athenienſibus miſſus, cum pro juſtitia, & iterùm contra juſtitiam mira facundia diſſeruiſſet, M. Cato Cenſorius eum hominem citò expediendum & amandandum cenſuit, ne eloquentia ſua animos civium corrumperet. *Quintilianus lib.* 12. *c.* 1.

C Conſtituerat Alexandet funditùs evertere Lampſacenos, quòd Perſis ſtuderent: eratque jam in procinctu. Ad eum miſſus eſt à ſuis Anaximenes Ariſtoclis filius, Lampſacenus, Alexandri præceptor, culpæ deprecandæ cauſa. Quo cognito, rex per deos juravit, contraria ſe precibus ejus facturum. Tum Anaximenes: Hoc ergo peto, inquit, ut uxores & liberos Lampſacenorum ſub corona vendas, & templa incendas, & urbem ſolo æques. Rex jurejurando obſtrictus, vel invitus Lampſacenis pepercit. *Suidas.*

Philopoemenes Megalopolitanus, occupata Megalopoli à Cleomene Spartano, cum cives ſui, qui Meſſanam profugerant, de urbe recuperanda conſilia agitarent: oratione tamen ſua iis perſuaſit, ut patria aliquandiù carere, & benè gerendæ rei occaſionem expectare potiùs, quàm temerario conatu, & capita & fortunas ſuas certo exitio exponere mallent. *Fulgoſus l. 8. c. 9. ex Plutarcho.*

Hiero Syracuſanus, orta domi ſeditione, inermis in forum prodiit, blandaque oratione populum in officio (erat enim ex duce tyrannus factus) continuit. *Volaterranus l. 16. Anthrop. ex Æliano.*

D Regibus exactis, plebs diſcedens à patribus, juxta ripam fluminis Anienis, in colle, qui Sacer appellatur, armata conſedit: eratque non ſolùm deformis, ſed etiam miſerrimus Reipubl. ſtatus, à capite ejus cætera parte corporis peſtifera ſeditione diviſa: ac ni P. Valerii ſubveniſſet eloquentia, ſpes tanti imperii, in ipſo penè ortu ſuo, corruiſſet. Is namque populum, nova & inſolita libertate temerè gaudentem, oratione ad meliora, & ſaniora conſilia revocatum, Senatui ſubjecit: id eſt, urbem urbi junxit. Verbis ergo facundis, ira, conſternatio, arma ceſſerunt. *Valerius libro octavo, capite nono.*

Menesius Agrippa tantum eloquentia valuit, ut plebem à patribus diſſidentem, ſolus ſua oratione, quò voluit, flexerit. *Plin. c. 18. de viris illuſt. & Plutarchus in Coriolano. Livius.*

Oreste Coſ. in Sardiniam cum exercitu miſſo, cum atrox ſimul & inſalubris hyems occurriſſet, veſtemque Imperator in exercitum civitatibus imperaret, miſerunt Romam id deprecatum. Quorum accepta à ſenatu excuſatione, juſſoque duce, aliundè veſtitum militibus parare: cum conſilio ille deficeret, & affligerentur milites: adiit C. Gracchus, quæſtor Conſuli additus, civitates, induxitque, ut ſua ſponte mitterent veſtem, & Romanis opitularentur. E Hæc Romam perlata, viſaque plebis illiciendæ præludia eſſe, terrorem injecerunt patribus. Itaque ſenatuſconſultum fecerunt, ut militibus ſuccederetur: Oreſtes autem permaneret ibi, quo Cajus quoque ob quæſturam ibidem remaneret. Quod ei cùm oblatum eſſet, extemplò ira frendens deceſſit, ac Romæ nec opinantibus conſpectus, non ab iniquis modò eſt reprehenſus, ſed plebi etiam viſum inuſitatum, antè conſulem decedere quæſtorem. Veruntamen cum dies ei dicta apud cenſores eſſet, poſtulata audientia, ita animos vertit auditorum, ut cum ea diſcederent opinione, eum quàm maximè læſum fuiſſe. Stipendia enim ſe demonſtravit duodecim feciſſe, cùm alii cogerentur facere decem: quæſtorem apud Imperatorem triennium permanſiſſe, cum lege ſibi reverti exacto liceret anno. Solum ex militibus zonam ſe, quam in provinciam plenam intuliſſet, importaſſe inanem: cæteros exhauſto, quod importaverant, vino, auro & argento, domum plenas amphoras retuliſſe. *Plutarchus in Cajo.*

F Furius Camillus populum, Roma migrare Vejos volentem, eleganti concione retinuit: in qua omnes urbis dotes laudeſque licet agnoſcere. *Volaterranus lib. 14. c. 2. Antroph. ex Livio.*

M. Popilius Lænas, cum conſul eſſet, eodemque tempore ſacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat Flamen Carmentalis, plebis contra Patres ſeditione nunciata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem; ſeditionemque cum auctoritate, tum etiam ſua oratione ſedavit. Unde lænæ agnomen meruit. *Cic. in Bruto.*

M. Cato major, cum omnes penè civitatis Romanæ potentiſſimos & primos haberet adverſarios, & ad ſenectutem uſque inſtar athletæ decertaret, conſervavit ſe incolumem. Plurimis verò publicis indiciis, hinc reus, hinc accuſator, multos damnavit, & ab omnibus liberatus fuit: propugnaculo vitæ & valenti inſtructus organo eloquentiæ: cui veriùs, quàm caſui, vel fortunæ ejus, quòd illæſa permanſerit dignitate, acceptum referat. *Plutarchus.*

Bello civili, cùm C. Marius in cives ſæviret, M. Antonius orator apud amicum fidum, tenuem licèt & plebejum, G occultabatur. Qui, cùm urbis Romæ primarium virum ex præſenti copia tueretur, ſervum miſit ad vinum petendum à vicino caupone. Cùm guſtaſſet ſervus curioſiùs, & melius poſtularet: Quid hoc rei ſit, rogat, quòd non novum, ut ſolebat, & vulgare, ſed exquiſitum & pretioſum emat? Qui ubi ſimpliciter, ut familiari & noto, reſpondit, M. Antonium, qui apud dominum ſuum latitaret, ab eo invitari: nefarius & conſceleratus caupo, ſimul ut ſervus eſt digreſſus, ipſe ad Marium contendit jam cœnantem. Ad quem introductus, Antonium ſe oſtendit ei traditurum. Quo nuncio, exclamaſſe dicitur, manibuſque ex lætitia plauſiſſe. Parum etiam abfuit, quin exurgeret ipſe, atque illuc properaret. Cæterùm retentus ab amicis, Annium (Valerius Maximus libro 8. capite 9. habet P. Antonium) cum globo militum miſit, præcepitque, ut properè Antonii caput referret. Ubi ad ædes illas venere, reſtitit Antonius ad fores. Milites verò ſcalis in cubiculum ſcanderunt: ac conſpicientes Antonium, excitabat alius alium ad cædem, & ſibi ſurrogabant. Nempè hæ veneres illius orationis, hic lepos erat, ut exortum dicere & necem deprecari, nemo nec attingere, nec ſuſtineret aſ- H picere: ſed defixo in terram vultu, illacrymarentur omnes. Intercedente mora, aſcendit Annius, atque Antonium videns diſſerentem, militeſque ab eo obſtupefactos, ac delinitos, accurrit ipſe, atque Antonium obtruncavit. *Plutarchus in Mario.*

M. Tullius Cicero, ut princeps Romanæ fuit eloquentiæ, ita etiam incredibilia præſtitit. De privatis cauſis, quas egit, non loquor: publicas tantùm attingo. Proſcriptorum liberis perſuaſit, ut fortunis & honoribus carere, quàm novum bellum inteſtinum excitare mallent. Publ. Rullo Tribuno plebis Agrariam legem promulgaturo, de agris populo in capita dividendis, populum, quamvis famelicum & eſurientem, eloquentia ſua eò compulit, ut legem repudiaret: hoc eſt alimenta ſua abdicaret. Nempè hic vir potiſſimùm, quantum adferat honeſto condimentum eloquentia, oſtendit populo Romano: atque invincibile, quod eſt juſtum, eſſe, ſi rectè dicatur: debereque eum, qui ſedulò tractare rempublicam intendit, ſemper in rebus quidem agendis honeſtum blandienti anteferre, ſed in dicendo, acerbum eximere conducibili.

A Nam cum equites in theatris permiſti plebi, & unà cum populo indiſcreti ſpectarent, M. (ſeu potiùs L.) Otho prætor equites honoris cauſa primus à cætera plebe diſcrevit, ac ſeparatum eis locum in theatro, quem nunc quoque tenent, præcipuum, attribuit. Id interpretatus in contumeliam factum ſuam, populus ingreſſum in theatrum exſibilavit Othonem probroſè. Equites invicem magno plauſu exceperunt eum. Intendit ex integro populus ſibilum, mox plauſum illi. Ita inter ſe commiſſi, laceraverunt ſe mutuò maledictis, ac confuſio theatrum magna tenebat. Qua re audita, cum contuliſſet ſe illuc Cicero, concioneque ad Bellonæ convocata, increpaſſet populum caſtigaſſetque, reverſi in theatrum, ingentem plauſum Othoni dederunt, certaveruntque cum equitibus de illius honoribus, & laude. Idem quoque oratione ſua L. Catilinam civem facinoroſiſſimum urbe ejecit. Denique cùm interfecto Cæſare, maxima in urbe orta eſſet ſeditio, eam ipſe & auctoritate, & oratione ſua ſedavit. *Plut. in Cicerone.* De eo ſic *Plin. l. 7. c. 30.* ubi conſulatus tantùm illius opera attingit: Te dicente, legem agrariam, hoc eſt, alimenta ſua, abdicaverunt tribus: te ſuadente, Roſcio thea- B tralis auctori legis ignoverunt, notataſque ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerunt: te orante, proſcriptorum liberos, honores petere puduit: tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proſcripſiſti. Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum linguæque lauream merite, & facundiæ Latiarumque literarum parens: atque (ut dictator Cæſar hoſtis quondam tuus de te ſcripſit) omnium triumphorum lauream adepte majorem, quantò plus eſt, ingenii Romani terminos in tantum promoviſſe, quàm imperii.

Antiphon ſophiſta, Neſtor cognomine, Nepenthes acroaſes promittebat. ☞ *Vide Tit. Rhetorum.*

Cum edixiſſet Domitianus Imp. ne in Aſia vites haberentur quoniam vini ubertate ſeditionibus agitari videretur: legatus ad Imperatorem mittitur Scopelianus ſophiſta. Is eloquentiæ ſuæ vi non ſolùm id conſecutus eſt, quod erat caput, ne cui fraudi eſſet, plantare vites: ſed inſuper, ut pœna irrogaretur, qui eo munere abſtinuiſſet. *Cælius l. 20. c. 11. ex Philoſtrato.*

Cum Smyrna, Joniæ civitatum pulcherrima, ſub Marco C Antonino terræ motu, & hiatu terræ miſerandum in modum corruiſſet: Theodoſius præfectus Aſiæ reſtituit juſſu Imperatoris, quem Ariſtides rhetor Monodia de ejus clade ſcripta (cum inter cætera etiam hoc intuliſſet, Ζέφυροι ἐρήμίω αὐτlὼ καταπνέουσιν: Deſolatam perflant Zephyri) ita flexerat, ut inter legendum & ſuſpiriis crebris, & lachrymis dolorem ſuum teſtatus ſit, & Theodoſio ſtatim præceperit, ut eam reſtauraret. *Philoſtratus.*

Ambrosius præfectus Mediolanenſis, cum videret populum propter Arianam perfidiam in diverſa ſtudia partium concitatum, in electione Præſulis diſſidere, tumultum eloquentia ſua ſedavit: & mox omnium conſenſu Epiſcopus ipſe declaratus eſt. *Ruffinus l. 6.*

Leo primus Pontifex, Valentiniani junioris Imperatoris ſuaſu ad Padum profectus, cum Attila in colloquium venit. Itaque Hunnorum regem ab ultima Tartaria profectum, nec Alpes, nec munita loca, neque arma avertere potuerant, quò minùs in Italiam, Veronam uſque deſcenderet, magna Romano Imperio clade illata, cui toti internecionem minitabatur. Eum autem dicendo adeò commovit Leo, ut perſuade- D ri ſibi Attila paſſus ſit, ut in Ungariam regredi vellet, neque jam ultrà Romanum Imperium infeſtaret. *Fulg. l. 8. cap. 9. & Volat. l. 22. & Egnat. l. 8. c. 9.*

Cùm Rachisius, Longobardorum rex, magnis viribus Peruſiam urbem obſideret, ad eum in caſtra Zacharias Pontifex cum paucis profectus, non ſolùm eum impulit, ut urbis obſidionem ſolveret: verùm etiam dicendo ita præſentis vitæ vanitatem, præmia pœnaſque futuras ejus animo impreſſit, ut tradito Ariſtulpho fratri regno, ipſe monachalem ordinem Romæ profiteretur. *Fulg. l. 8. c. 9.*

Sigismundus, Hungariæ rex, à proceribus captus, & viduæ, cujus maritum interfecerat, cuſtodiendus datus, ſua eloquentia tantùm effecit, ut ab ea dimitteretur. *Vol. l. 23. & Cuſp.*

Franciscus Foscarus, Venetorum dux, cùm Florentini gravi bello à Philippo Mediolanenſium duce, regnum Italiæ affectante, premerentur, auctor ſuis fuit, belli contra communis libertatis hoſtem ſuſcipiendi. Tanta enim in eo dicendi vis fuit, ut quod ille ſemel proponeret, omnes etiam in ſenatu approbarent. Feliciter illud bellum Venetis ceſſit, nam Brixiam, & magnam partem Galliæ Ciſalpinæ, imperio ſuo adjecerunt. E *Egnat. l. 8. c. 9.*

Præerat Laurentius Medices Florentinæ Reipublicæ ſumma cum poteſtate, eo tempore quo bellum graviſſimum gerebatur inter Florentinum populum, & Ferdinandum Aragonium Neapolis regem. Laurentius cernens, quanto in diſcrimine verſaretur Florentinum nomen; tametſi ſciret, ſe unum præcipuè à Ferdinando peti, quem de medio tolleret: clam tamen ipſemet Neapolim navigavit, & ad Ferdinandum inexpectatus veniens, tantum dicendo effecit, ut pacem Florentino populo impetrarit. *Ibid.*

QUI NON PERSUASERE.

☞ *Conſule Tit. Certamina Rhetorum, item Cauſidicorum; ubi enim victor eſt, ibi victum quoque alium oportet eſſe.*

* APOPHTHEGMATA.

* Ethnicorum.

Demosthenes, immodicum eloquentiæ ſtudium objicientibus, ita reſpondit: Eloquentiæ ſtudium declarare hominem popularem: contra negligere ſtudium eloquentiæ, eſſe eorum, qui dominari populo quærerent, ut qui hoc agerent, F non ut perſuaderent dicendo, ſed ut vi cogerent. *Plutarc. in Demoſth.*

Æschines & Philocrates Athenienſium Legati, cum Philippi Macedonis eloquentiam plurimùm laudaſſent, Demoſthenes ait: Si eloquens eſt Philippus, habet hoc cum multis Sophiſtis commune. Senſit vir prudentiſſimus, Regis virtutes nequaquam in eloquentia poſitas eſſe. *Plut. in vita Demoſthen.*

Æschines cum Rhodi exul recitaret orationem ſuam adverſùs Demoſthenem, Rhodii demirati ſunt, quòd tali oratione fuiſſet damnatus ab Athenienſibus. At deſineretis, inquit, admirari, ſi audiſſetis, quæ ad hæc reſpondit Demoſthenes: damnationis cauſam rejiciens in violentiam eloquentiæ Demoſthenicæ. *Piſiſtrat. & Bruſ. l. 4. c. 31.*

Ephicrates, in cauſa obrutus eloquentia patroni, qui Ariſtophontem defendebat: Adverſariorum, inquit, melior eſt hiſtrio, ſed mea fabula melior. Ut fabula nonnumquam exploditur vitio hiſtrionis, ita ſæpè melior cauſa vincitur à pejore, patroni infamia, ſtultitiave. *Eraſ. l. 5. Apoph.*

G Thucydides ab Archidamo Lacedæmoniorum Rege interrogatus, uter eſſet in palæſtra ſuperior, ipſe, an Pericles: Poſteaquam, inquit, ego hominem pugnando dejeci, ille ſe negat cecidiſſe: itaque vincit & ſpectatores à ſua ſententia dejicit: ſentiens, ſe bonis rationibus eſſe ſuperiorem, ſed Periclem eloquentia vincere, & quocumq; vellet, agere multitudinem. Nam Thucydides vir præpotens, diù in adminiſtranda republic. adverſatus eſt Pericli; quam contentionem Archidamus palæſtram appellavit. *Eraſm. 6. Apoph.*

M. Antonius, cui vel primas eloquentiæ Patrum tribuebat ætas, vir natura peracutus & prudens, diſertos dicebat ſe vidiſſe multos, eloquentem omninò neminem. Inſidebat videlicet in ejus mente ſpecies eloquentiæ, quam cernebat animo, ſed re tamen ipſa non videbat. *Cic. in Oratore, ad Brutum.*

* Christianorum.

Mercurio caduceum in manu affinxit vetuſtas, quo ſignificatum voluit, Eloquentiæ interventu ſtatim omnes controverſiarum cadere tempeſtates: nam

Illa regit dictis animos, & pectora mulcet.

Unde dixiſſe commemoratur Cardinalis Aldobrandinus: Nullum eſt Imperii vallum firmius, quàm quod in eloquentiæ H campo eſt fundatum:

Addit enim invalidæ robur facundia cauſæ.

Ut habet *Luc. H. Farn. in Apoph. de Pr. Beyerlinck in Apoph.*

Idem interroganti, quis feliciſſimè regeret: Non, inquit, qui opulentia, aut robore plurimùm pollet; ſed qui eloquio, & facundia. Verè *Alciatus*:

Cedunt arma togæ, & quævis duriſſima corda
Eloquio pollens ad ſua vota trahit.

Ibidem.

Rogabat Principem Anonymum quiſpiam, quænam artes hominem in altiſſimo honorum culmine collocarent: Duæ, ait, una Imperatoris, altera Oratoris boni. Nec id malè: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. *Greg. Rich. in axiom. Polit.*

* Hieroglyphica.

Quia ſerpentem pro aſtu poni docti ſumus ex Ariſtotele dicente, animalia quædam eſſe aſtuta per ſe, ſicuti ſunt Serpentes: magis verò ex lectione ſacra, quæ prudentiam huic in primis

mis animali tribuit; ea etiam de cauſa Angues caduceo complicati putamus, quòd oſtendere voluerint, & calliditatem, & prudentiam neceſſarias eloquentiæ, quæ per virgam ſignificatur; quippè quæ regat dictis animos. Neque deſunt, qui virgam auream Mercurii manibus à qua Deus ipſe χρυσόῤῥαπις appellatur, dignitatis & excellentiæ, quæ illum ornant, qui & ſcitè, & opportunè norit orationem contexere, ſignum eſſe, contendunt. *Pier. Val. l.16.*

Sapientiores *Sirenas* pro Hieroglyphico eloquentiæ, feliciſſimaque perſuadendi vi, poſuerunt. Unde dictum illud de Catone Grammatico: *Cato Grammaticus, Latina Siren. Idem l.20.*

Per effigiem *Pſittaci* loquentem hominem, qualem ſe negat Tullius reperiſſe, ſignificant: cum nullum ex animalibus rationis expertibus, articulatiùs humanas explicet voces: id quod ideò præſtat, quòd linguam habeat latiorem carnoſioremque, & humanæ propemodùm ſimilem. *Idem lib. 23.*

Suavem eloquentiam per Hieroglyphicum *Apis* ſignificari, ſunt nonnulli qui aſſerunt. *Idem l.26.*

Herculem Galli lingua gentis vernacula Ogygium vocant. Porrò Deum ipſum nova quadam atque inuſitata figura depingunt: Senex apud illos eſt, ad extremum uſque occipitium recalvus: reliquis capillis, ſi qui ſunt, canis: cute rugoſa, & in aterrimum exuſta colorem, cujuſmodi ſunt naturæ iſti ſenes: Charontem potiùs, aut Japetum quempiam ex iis, qui apud inferos verſantur, diceres: in ſumma quidvis potiùs, quàm Herculem eſſe, conjiceres ex imagine: atque tali ſpecie cum ſit, tamen Herculis ornatum gerit, ut qui tum leonis exuvium indutus ſit, tum clavam dextra teneat, tum pharetram humeris aptatam portet, tum arcum læva prætendat: denique modis omnibus Hercules eſt. Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum Deorum contumeliam perperàm facere Gallos, cum eum ejuſmodi fingerent effigie, quo nimirùm illum talibus picturis ulciſcerentur, quòd olim in regionem ipſorum incurſaſſet, prædas agens id temporis, cum Geryonis armenta veſtigans, occidentalium gentium pleraſque regiones pervaſtaret. At nondum etiam dixi id quod erat in imagine maximè novum atque mirandum: ſiquidem Hercules ille ſenex ingentem admodùm hominum multitudinem trahit, omnibus ab aure revinctis. Porrò, vincula, catenulæ tenues auro electroque confectæ, pulcherrimis iſtis monilibus aſſimiles: atque cum vinculis uſque adeò fragilibus ducantur, tamen neque de fugiendo cogitant, cùm alioquin commodè poſſint, neque prorsùs obnituntur, aut pedibus adversùs trahentem obtrudunt, ſeſe reſupinantes: verùm alacres, ac læti ſequuntur ducentem, admirantes, ultrò feſtinantes omnes, & laxatis vinculis, etiam antevertere ſtudentes, perinde quaſi graviter laturi, ſi ſolverentur vinculis. Nec illud quidem pigebit referre, quod mihi videbatur omnium abſurdiſſimum: Etenim cum non inveniret pictor, unde catenularum ſummas anſas necteret, videlicet dextra jam clavam, læva arcum tenente, ſummam Dei linguam perterebravit, atque ex hac religatis catenulis eos trahi fecit: ipſe nimirùm ad eos, qui ducebantur, vultum ac oculos convertebat arridens. Hæc ego cùm diutiùs adſiſtens, eſſem contemplatus, admirans, hæſitans: indignans Gallus quiſpiam, qui propiùs aſtabat, noſtrarum literarum non indoctus, id quod pictura annuebat declaravit, quum Græcanicam linguam abſoluta ſonaret. Philoſophus, opinor, ex eo genere Philoſophorum, quod apud illos eſſe fertur. Ego tibi hoſpes, inquit, picturæ illius ænigma explicabo; nam videris vehementer ad eam attonitus ac ſtupefactus. Orationem nos Galli nequaquam arbitramur eſſe Mercurii, quemadmodùm vos Græci; verùm Herculi illam tribuimus, propterea quòd hic Mercurio longè robuſtior extiterit. Quòd ſenex fingitur, nihil mirere: ſiquidem una facultas dicendi, vel facundia, conſuevit in ſenecta demum abſolutum vigorem oſtendere: ſi modò verum noſtri dicunt Poetæ:

Obduci juvenum denſa caligine pectus,
Contra ſenectam poſſe quiddam dicere
Rudi juventa melius ac præclarius.

Hinc videlicet apud vos & Neſtoris lingua mille profuit, & Trojanorum concionatores liriſſeam educunt vocem, videlicet floridam: Nam liria, ſi ſatis commemini, flores appellantur. Proindè quòd ab auribus vinctos ad linguam trahit ſenex hic Hercules, qui non aliud, quàm ipſe eſt ſermo, ne id quidem debes admirari, qui quidem non ignoras, linguæ cum auribus eſſe cognationem. Neque verò ad contumeliam illud pertinet, quòd ea pertuſa eſt: nam memini, inquit, & jambicos quoſdam verſiculos è comœdiis apud vos diſcere:

Siquidem viris loquacibus extrema lingua perforata eſt omnibus.

Quin de eodem hanc habemus opinionem, ut quicquid egit, id oratione facundiaque confeciſſe putemus: utpotè virum ſapientem perſuadendo pleraque ſibi ſubegiſſe. Jam tela illius, nimirùm orationes, ſunt acutæ, miſſiles, citæ, atque animum ſaucientes: unde pennigera dicta vos quoque appellatis. *Eraſm. & Budæus in annotationibus in Pandectas.*

Perſuadere eſt bonum conſilium dare, Græcis καταπείθειν. Inde *Pitho* dicta eſt Dea, dicendi præſes, quam Ennius *Suadam*, Quintilianus Perſuadendi Deam, Suadelam Horatius, Cicero Leporem vocat. Hæc & flexanima dicitur, quaſi animum flectens, à Græcis ψυχαγωγὸς, quaſi ductrix & oblectatrix animæ: hujus Deæ ſanctiſſimum olim nomen apud Gallos fuit:

Marcus Cethegus dictus illis popularibus olim
Qui cum vivebant homines atque ævum agitabant,
Flos delibutus populi.

Probè verò: ut enim hominis decus ingenium, ſic ingenii ipſius lumen eſt eloquentia; qua virum excellentem, præclarè tamen, illi homines florem populi dixerunt, Suadæque medullam, πειθὼ, quam vocant Greci, cujus effector eſt Orator. Hanc Suadam appellavit Ennius πειθὼ, in labris Periclis Eupolis ſeſſitaſſe ſcribit.

Mercurius filius Jovis & Majæ, Deus eloquentiæ, nuntius divorum, tegitur galero, ut oſtendatur, adversùs invidiæ fulmina, ſolam eloquentiam plurimùm valere: Item ſignificatur gratia, quam quis ſibi apud auditores eloquentia cumulat: item vivacitas; ea enim quæve præclara facta ab interitu aſſerit, dicente Poeta:

O ſacer & magnus vatum labor! omnia fato
Eripis & populis donas mortalibus ævum.

Ovidius:

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Alata fert talaria: ſermo enim velox eſt, & ob id ab Homero alata exprimuntur verba 1. Iliad. eodem enim momento ex ore loquentis egrediuntur, & auribus auſcultantium excipiuntur. Virgam defert, qua fingunt, Mercurium animas ab orco vocare, alias demittere: quod nihil aliud ſignificat, quàm plurimos è mortis faucibus ſubtrahi, quos carnifex expectet, mox ad ſupplicium rapturus; & ſi velit, in mortem impellat rurſus. Ita Cicero communi voce, ob necatum Clodium, Milonem eripuit eloquentiæ viribus: ita & Popilium Lenatem, Cœlium & innumeros alios. Is eadem fandi majeſtate Lentulum, Cethegum, Sextilium, atque ejus farinæ homines potentiſſimos morti tradidit. Eſt & ejus virgæ natura, ventos excitare, & tranare nubila: quod indicat, eloquentiam ſolam, ſeditiones commovere, & ſi eas cupiat ſedare, poſſe. Ita feciſſe Curionem apud Anninium in Cæſarem legimus: Ita & Cicero turgidum Cæſaris in Dejotarum pectus pacavit. Virga hæc ſomnos dat, ac adimit: Ita eloquentia inertes ſopitoſque ad exercendum ſe admonet, quum præmia opulentiſſima proponit, & decoris memores eſſe jubet: ſopit nimiùm audaces & temerarios, quum non orare ſit, ſed potiùs latrare. Serpens eſt implicitus virgæ, quòd prudentia maximè oratorem deceat. *Boccacius l.12. c.26. Cic. de claris oratoribus.*

* Eloquentiæ Præsagia.

Facundia & ſermonis gratia, quam Eloquentiam appellamus, donum eſt tum naturale, tum ſupernaturale. Hinc Platoni dormienti infantilibus in cunis, apes mellis copiam in os inſtillare ſunt viſæ: quod præſagium erat, ex Platonis ore, Dei dono, fluxuram orationem omni melle ſuaviorem. Quomodo & Xenophon ab elegantia ſermonis vocatus eſt Muſa Attica.

In S. Ambroſii, dum adhuc infans eſſet, ore, examen apum conſedit: quo divina viri eloquentia præſignificabatur, *ait Paulin. in vita.*

S. Dominici Prædicatorum Patriarchæ mater, dum eum utero geſtaret, viſa ſibi fuit in quiete continere catulum facem ardentem ore præferentem, qua editus in lucem totum orbem accenderet. Monebatur eo ſomno, quod etiam evenit, Dominicum, tum per ſe, tum maximè per inſtituti ſui ſectatores, pia facundaque ſermonis eloquentia, omnes homines ad Dei amorem inflammaturum, & hæreſes omnes, prout Albigenſes in Francia, latratu valido profligaturum.

Matri S. Bernardi non multùm abſimile accidit, ut in vita ipſius legimus; qui propter ſermonis dulcedinem, melliflui nomen promeruit.

Emancipati.

☞ *Quære Libertas. Liberi.*

Emendare.

☞ *Pete ex loco de Correctione.*

* Emblema.

* Definitio Et Etymologia.

Dicitur Emblema παρὰ τοῦ ἐμβάλλεσθαι, aut ἐπεμβλῆσθαι, quod eſt inſerere, interponere, injicere. Antiquitùs namque lapillis quibuſdam quadratis politiſque, in quibus icones inſculptæ erant, ornabantur, ut ex Pauſania, Plutarcho, & aliis colligitur.

Itaque Emblemata non ſunt propriè ænigmata, ſymbola, aut gnomæ, ſed uſurpatur ea vox pro carminibus, quibus imagines, agalmata, pegmata, & id genus ſcitè inventa, eruditè & variè explicantur. Notum eſt illud Ciceronis ex Lucilio: Quàm lepidè leucis compoſiæ ut teſſerulæ omnes arte, pavimento atque emblemate vermiculato.

Igitur Emblema dicimus, quidquid ornatus gratia inſeritur, etiam vaſis, gemmis, veſtibus, pateris.

Scriptores.

Scripſerunt Emblemata *Andreas Alciatus, Ioan. Sambucus, Iacobus Byllius, Nicolaus Reuſnerus, Nicolaus Taurellus, Ioachimus Camerarius, Hieronymus Roſcellius,* & plerique alii.

☞ *Videatur Titulus de Symbolis.*

Emporia.

☞ *Pete ex loco de Nundinis.*

Emptio.

Definitio Et Etymologia.

Emptio, Græcè ἀγοραστία, Hebr. *Miknah*, à verbo *Kanach*, emit, acquiſivit, nactus eſt. Emptitiæ res dicuntur, quæ emptæ ſunt; & emptitius miles, mercenarius.

Definitur autem Emptio, pactio pretii pro merce, *l.1. pand. de contrah. emptione.* Merx vocatur quævis res vendibilis; pretium autem nummus, ſive pecunia. Hæc enim inventa eſt ut ſit pretium omnium rerum, quæ in contractus humanos veniunt. Porrò conſiſtit hic contractus in nuda pactione, & ſolo conſenſu perficitur, neque requirit ad ſui ſubſtantiam traditionem rei aut pretii.

Exempla Biblica.

Abraham emit ſervos, *Gen.17. verſ.27.* Speluncam duplicem, 23.16. Jacob partem agri. 33.19. Putiphar Joſephum, 37.36. Jacob & filii ejus frumentum, 42. v.1. 2. Joſeph terram Ægypti, 47.20. David arcam, 2. *Reg.*24. Michol uxorem, 1. *Reg.*18. & 2. *Reg.*3.14. Amri montem Samariæ, 1. *Reg.* 16. *v.*23.24. Negotiatores Regis, 2. *Paral.*1. *v.* 16. 17. Jeremias agrum, *Ier.*32. *v.*7. Principes Sacerdotum agrum figuli, *Matth.*27.7. Joſeph ſindonem, *Marc.*15.75. Maria Magdalena, &c. aromata, 16. *v.*1. 2. Filius Dei Eccleſiam ſuam, *Act.* 20. 28. 1. *Cor.*6.20. & 7.23. 1. *Petr.*19. 2. *Petr.*2. 1.

Profana.

Thuriaci, mercaturam exercentes, abſque omni dolo vendunt omnia: apud quos, ſi quis domum emerit, ſacra facere in Appollinis Epicomæi fano, ſi verò prædium, in vico quem inhabitabat, & jurare coram magiſtratu ſolet, quòd revera juſtè emat, nec fraudulenter agat, nec arte dolove ullo. Eodem modo & magiſtratus quoque vendentem jurare jubet, quòd ſine malo dolo vendat. *Stob. ſerm.42.*

Themistocles prædium diſtrahens, juſſit pronunciari etiam vicinum bonum illud habere. *Plut. in Apoph.*

Cornelius aſinam pecunia onuſtam in forum produxit, loco ſponſorum, cum fundum emiſſet. Unde Corneliæ genti Aſinæ cognomentum datum eſt. *Macrob. l.1. Satur. c.6.*

Q. Mutius Scævola Pont. Max. eloquentium juris peritiſſimus, & juris peritorum eloquentiſſimus: cum aliquando poſtulaſſet; ut ſibi fundus, cujus emptor erat, ſemel indicaretur, idque venditor feciſſet: dixit, ſe pluris æſtimare, additque centum millia. Uſque adeò ab officio boni viri non diſcedebat. *Rutil. in ejus vita.*

Hermes Philoſophus Ægyptius, auditor Syriani ſophiſtæ, condiſcipulus Procli, ſub Hadriano principe, nec non minus juſtitia, quàm doctrina præditus, ſi quid empturus, minus juſto pretio addiceretur, ipſe nihilominus juſtum promebat: ſi quid verò contra, non ultra appetebat. *Suidas.*

☞ *De emptione uxorum, quære in Tit. de Vxore.*
☞ *Petantur plura ex loco de Contractibus. Tit. Emptio.*

Encænia.

☞ *Quære locum de Iudæis. Tit. Feſta Iudæorum.*

Energumeni.

☞ *Vide locum de Dæmonibus. Tit. Dæmoniaci. Vbi de modis variis Dæmoniacorum, eorumque liberatione, & cauſis.*

* Epheſus, Epheſii.

Quæ, Et Quales.

Epheſus, Amazonum opus, juxta Strabonem, aut Creſi cujuſdam indigenæ, ſecundùm Pauſaniam, Epheſiique, qui Iſtri fluvii filius dicitur; Jonicarum urbs clariſſima, & Aſiæ lumen dicta, ædificata, ut prodit Euſebius in Chronico, anno David XXVIII. ſita in pulcherrimo ſitu, à læva Meandrum fluvium, à dextra Caiſtrum fluvium habens, qui vehit merces Aſiaticas.

Erat hìc toto orbe celeberrimum, mundique mirabilibus annumeratum, Templum Dianæ, cujus longitudo cccccxxv. pedum erat, latitudo ccxx. Erantque in eo columnæ cxxvii. ſexaginta pedes altæ, (inter quas xxxvi. celatæ erant miro artificio) ab Aſia tota exſtructæ per annos ccxx. aut etiam quadringentos; & à Regibus ejuſdem dicatæ cum Aſili prerogativa, cui Alexander adjecit ſtadium. De quo *legatur Plinius l.36. cap.14. Giraldus hiſtor. Deorum ſyntag. 12. Alexand. ab Alex. l.3. c.20.*

Laudantur Epheſii à ſcientia artis Magicæ, ac reliquarum artium bonarum ſtudiis, Philoſophis, Oratoribus, ac rerum omnium diſciplinarumque magiſtris ea urbs redundabat; ut verè dici poſſet, eam Civitatem non equitum robore, ſed clarorum hominum millibus cæteras ſuperaſſe, in eaque plurimùm viguiſſe ſapientiam. *Chyſoſtomus* dicit, ex vulgari opinione, inde fuiſſe Pytagoram, totamque Jonicam Philoſophiam ibi cœpiſſe cum Parmenide, Zenone, Democrate. *Præf. in ep. ad Eph.*

Conſecuta eſt autem hæc urbs celebritatem majorem ob Pauli præſentiam, qui ibi fuit pluſquam duobus integris annis, ut teſtatur ipſe, *Actor. c.19.* qui etiam Timotheum conſtituit Epiſcopum ibidem, cui Oneſimus, alius Pauli diſcipulus, ſucceſſit. Item Joannes Apoſtolus ibi diù moratus, finem vitæ clauſit, ſecundùm Hieronym. Sed & Deiparam ibidem cum S. Joanne, aliquo tempore habitaſſe, teſtata ſunt Concilia Oecumen. In hac Civitate, quæ Aſiæ erat metropolis; Patres *c.27. in Epiſt. ad Cler. Conſtantinop.* quod jam ante Epiphanius hæſitando ſignificaverat, *hæreſ.78.*

Laudat *S. Ignatius Martyr* Epheſios *Ep.14.* à fidei puritate, & conſtantia. In quibus inſtructi fuerant à Chriſti diſcipulo Paulo & Timotheo.

D. Hieron. præf. in Ep. ad Epheſ. notat, in hac civitate maximè viguiſſe Idololatriam, artiumque magicarum præſtigias, ideòque Paulum ibi penè triennio moratum, multaque de dæmonum poteſtate per Chriſtum profligata, Epiſtolæ quam ad eos ſcripſit, inſeruiſſe. Id autem apud eos effecit, ut multi ex iis, qui fuerant curioſa ſectati, libros ſuos contulerint, & coram omnibus combuſſerint. *Act. c.16.*

* Ephod.

☞ *Quid de eo ſenſerit Quingerus, ex Bodino, & aliis, vide in loco de Divinatione, Tit. Ephod.*

Ejus Præceptum, Et Forma.

Inter alia Cæremonialia præcepta, illud etiam legimus, *Exod. cap.28.* Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito. Quod noſter Interpres dicit ſuperhumerale, Septuaginta vocant ἐπωμίς, Hebræi Ephod. Id eſt pallium, ſive extima veſtis, quæ aliis ſuperimponitur. Erat ergo veſtis propria Pontificis, quæ tam pectus, quàm humeros tegebat, eratque